Cruz
5

UVA. BHSC. BU 03005

BIBLIOTECA
DE LA UNIVERSIDAD DE VALLADOLID.
Estante n.º 98 25
Tabla 3 3
Número 4248 22

UVA. BHSC. BU 03005

14676 = 3005

UVA. BHSC. BU 03005

UVA. BHSC. BU 03005

IOANNIS

# MARIANAE

Hiſpani,

E SOCIE. IESV,

## DE PONDERIBVS ET menſuris.

14676



Anno 1599.

CVM PRIVILEGIO.

Toleti, Apud Thomam Guſmanium.

de la Casa professa de la Comp.ª de Jesus de Vallad.
y de su libreria

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA VALLADOLID Bca. General

UVA. BHSC. BU 03005

*Hic legit vt diſcat: rigido is me vellicat vngue.*
*Si præſtas multó gloria maior erit.*

Taſſa

UVA. BHSC. BU 03005

# Taſſa.

YO Miguel de Ondarça çauala eſcriuauo de Camara de ſu Mageſtad doy fè, que los ſe-ñores del Conſejo de pedimiento y ſuplica-cion del padre Iuan de Mariana de la Compañia de Ieſus, taſſaron vn libro intitulado, De ponderibus & menſuris, que con licencia y priuilego de ſu Ma-geſtad ſe imprimio, a tres mr̃s el pliegio en papel, y al dicho precio y no mas mandaron que ſe venda: y que antes que ſe venda ningun libro, ſe imprima eſta taſſa en la primera hoja de cada volumen. Y pa-ra que dello conſte de pedimiento del dicho padre Iuan de Mariana, y mandamiento de los ſeñores del Conſejo di la preſente en Madrie a 30 dias del mes de Enero de mill y quiniẽtos y nouẽta y nueue años.

Miguel de Ondarça
çauala.

## *Errata caſtigata.*

Pag. 22. à & Græcis. lege, & à Græcis. 29. quoque ver ſus. l. quoquouerſus. 59. ſepta ſeu minuta. l. lepta. 89. eorum tractationem. l. earũ. ibidem. 3. Reg. ver. 11. l. 3. Reg. 5. ver. 11. 91. ſignificat. Quidã. l. ſignificat, quidã. 110. ſextarios. $\frac{1}{2}$ Toletanos. 7. l. ſextarios Toletanos. 7. $\frac{1}{2}$.



UVA. BHSC. BU 03005

# Summa Regij priuilegij.

PHILIPPI .II. Hiſpaniæ & Indiarum Regis Catholici priuilegio cautum eſt, ne quis hunc librum de Ponderibus & menſuris proximis decem annis, niſi de auctoris voluntate imprimat, aut alibi impreſſum in vniuerſis Caſtellę regnis vendat. Qui ſecus fecerit, ei præter librorum publicationem mulcta pecuniaria indicitur. Vti ex ipſis regijs litteris plenius intelligitur Madriti conceſsis die vigeſimo ſexto Iunij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo.

CEN-

# Cenſura huius libri regia auctoritate facta ab Antonio Couarruuia Scholaſtico Toletano, & regio antea Conſiliario.

DE Ponderibus & menſuris, & olim, & hoc ſæculo doctiſsimi viri cum cura pertractarunt. quippe ea diſputatio ad intelligendos tum ſacros, tum prophanos ſcriptores vtiliſsima eſt, & omni antiquitate cognoſcenda, & vitæ communis vſibus, mutuoque commercio ciuium inter ipſos, & cum externis maximè neceſſaria. In eo argumento Ioannes Mariana nouo conatu, magnaque diligentia ita verſatur, vt explicata commodius omnia, & exploratiora nobis quidem videantur: ac noſtris hominibus, quorum externis ſcriptoribus nulla cura fuit, magis accommodata: dignuſque liber, qui in manus hominum veniat, cui auctoritatis & laudis auctoris nomen vbique gentium, haud dubium conciliabit, quantum erit ſatis.

*Antonius Couarruuias.*



UVA. BHSC. BU 03005

# Facultas imprimendi.

*EGo Ludouicus Guſmanius Societatis Ieſu Prouincialis in prouincia Toletana, poteſtate mihi facta à Reuerendo admodum patre Claudio Aquauiua Præpoſito generali, facultatem concedo, vt tractatus de ponderibus & menſuris à patre Ioanne Mariana compoſitus, & eiuſdem ſocietatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Talabricæ. 17. Maij. 1598.*

Ludouicus Guzman.

Lectori

UVA. BHSC. BU 03005

# Lectori.

*HEbraicos characteres, quibus pondera & menſuras eius gentis exprimeremus, conflare non licuit, ne Græcos quidem formæ congruentis. Sic ſunt res noſtræ. Quotus quiſque eas elegantias curat? Sed ſi quis tamen hunc libellum recudere librarius aliquando voluerit, eum vt huic maculæ medeatur exoratum, vt rectè & ex ordine faciat monitum volumus, pro Hebraicis litteras Latinas ſubſtitutas, quæ maximè cõgruere viproſæ ſunt. Pro aſpirattione Cheth, Ch, pro Caph, aſpiratione difficillima Aiim, Gh, pro Qoph, Q, K, pro Saech, S, haud, C. Cætera quia facilia mittimus, haud ignari tamẽ non ſatis ijs litteris Hebraicæ linguæ inſolentes ſonos exprimi. Quid facerem? Proxima reddere ſatis habui. Id te latere nolebamus. Notis numerorum antiquis vſi non ſumus, ne diſputationi per ſe difficili, maiores ex eo tenebras offunderemus.*

UVA. BHSC. BU 03005

UVA. BHSC. BU 03005

# AD GARSIAM LOAYSAM ARCHIEPISCOPUM Toletanum.

## *Auctoris præfatio.* *Cap.* 1.

PONDERA Et menſuras ſuis ſingula momentis, te auſpice & adiutore, Præſul eximie, examinare pergo: arduũ opus, impeditam diſputationem atque ſpinoſam. Quid enim difficilius, quàm in veteri ſpatio, multorum ac magnorum virorum veſtigijs trita via, nouas ſemitas imprimere? Quid magis impeditum, quàm varias & multas ſcriptorum ſententias mente complecti, atque memoria, explicare oratione? Præſertim, cum ex magno numero veterum, atq; recẽtium auctorũ vix duos inuenias inter ſe conſentientes. vetuſtis gratiã, nouis auctoritatem dare, quantus labor? Iam calculandi, numeriſq;



UVA. BHSC. BU 03005

ſingula perſequendi (quod neceſſe eſt) quanta moleſtia, quantaque attentione opus eſt, ne lapſus contingat? Eo grauior labor exiſtit, quod non vnius gentis menſuras & pondera explicaturi ſumus, quod ipſum eſſet difficile, ſed nobilium maximè & antiquiſsimarum Hebraicæ, Grę cæ, & Romanæ. Hebraicę quidem, quoniam diuinis libris explicandis, quorum prima cura erat, nō parum iuuabit, quid Iudæorum Talentum eſſet, quid Mina, quid Siclus exploratum habere: pręterea quid Corus, Ephi, Gomor, Bathus, Hin, Satum, Cabus, ac alias noſſe id genus voces Hebraicas: quibus ignoratis, hallucinetur ſæpe Theologus, neceſſe erit. Græca autem & Romana adijcienda putabam, quòd in his linguis paſſim diuini libri legantur, Græcis ſæpe & Romanis menſuris ſubſtitutis pro Hebraicis. Simul cognoſcendis prophanis auctoribus atque eccleſiaſticis aliquid lucis noſtra opera afferri poſſe cogitabam. Rurſus cum noſtris Hiſpanicis conferenda vetera, & comparanda ſunt, quo cuncta melius intelligantur. Nam omnium gentium menſuras & pondera, ſeu vetera ſeu recentia explicare velle, infiniti laboris eſſet & immenſi: neque modus

neque

neque finis diſputandi eſſet, ac ne magnum quidem operæpretium. Sed ad Hebraica tamen, Græca, & Romana vetera fere aliarum gẽtium reuocari poſſunt: ab Hiſpanicis Gallica, Italica, Germanica parum diſcrepant. Simul confuſio ex multitudine & varietate à nobis procuranda erat. Et quoniam multi ſæpe nodi incidunt implexi, profiteor quæ explorata ſunt, poſiturum me pro certis: in alijs, ſi quæ veriſimilia ſunt, aut ex coniecturis, aut aliorum auctoritate, eorum periculo dixero, ſatis habeam. fides tantùm auctores appellet. In Hiſpanicis menſuris & ponderibus, quoniam pro locis ſæpè & regionibus varia ſunt, Toletana prętuli, propter eius vrbis principatum, & quoniam in ea hoc quidquid eſt operæ cudebamus, ſtudio ſpeque noſtros hos conatus eruditis viris & moderatis probandi, promiſcuæ turbæ nulla cura, eorum præſertim qui ſtudia vtilitate metiuntur & lucro, magnum ſapientiæ nomen barba tenus & pallio velantes, quorum eſt magnus numerus: ne eorum quidem, qui inepta ſemel perſuaſione occupati dimoueri ſe ab ea non patiuntur, eoq; præiudicio diuerſa reprobare,

 acre-

UVA. BHSC. BU 03005

ac reijcere conſueuerunt. A quibus, vt noſtra patienter legant aut audiant, momentaque ſingula argumentorum expendant attentè, ſi impetrabimus, fortaſsis efficiemus, vt labore noſtro profeciſſe ſe, & lucis aliquid in tãtis tenebris allatũ confiteantur. Si quis obſcurè multa dici accuſabit, is conſideret, quæ numerorum ratione explicãtur, attẽtione opus habere: noſque ſæpe multa repetijſſe ſtudentes perſpicuitati, cuius maior ratio eſt habita, quã orationis ſtyli. faſtidioſi enim ingenij eſt, in his diſputationibus ſermonis elegantiam requirere, atque delicati in re ſeria voluptatem captare. In tuo quidem nomine, humaniſsime Antiſtes, hoc quidquid eſt operis, foras dare conſilium fuit, non patrocinij cauſa, id enim vulgare & ſuperuacaneum: ſed vt obſeruantiæ noſtræ, & ſynceri amoris à primis annis ſuſcepti, accedenteque ætate tuis beneficijs, noſtriſque obſequijs confirmati, monimentũ aliquod extaret. Maioris quoque erit, quod tanto viro dicatur: nã & vilia quamuis dona valde pretioſa videntur, ſi templis & cæleſtibus ſint oblata: vitrũ in Pontificio anulo reuinctum pro adamãte accipiatur, pro vero pſeudoſmaragdus. Maior fulgor proxima

quæ-

quæque illuſtrabit etiam minuta. Simul di-
ligentiam excitabo eo iudice ipſa operis nun
cupatione vltro delecto, vnde prouocare ad
alios non liceat. Supremum enim ſuæ cauſæ
arbitrum facit, qui elegit ea præſertim digni
tate, prudentia, eruditione. ſic ex vſura quæ-
ſtus multiplex exiſtet. De tuis laudibus & me
ritis pauca dicere indecorum: multa, impor-
tuna narratio. Itaque de nobilitate, mode-
ſtia, ſapientiæ ſtudijs, ſuauiſsimis motibus,
alijſque animi & corporis dotibus, quas na-
tura certè vis maior conceſsit benigna ma-
nu, ſilentium erit. Illud non prætermittam
ſæpe verum: quemque fortunæ ſuæ eſſe fa-
brum, ſuiſque ſingulos motibus fingi, rarò ab
indole, rarò ab ingenio rerum euentus diſ-
crepare. Nos inepti rerũ æſtimatores alienas
felicitatis, infelicitatiſque cauſas ſcilicet perſ-
crutamur. Hoc ſanè initio tui Pontificatus
Toletani, quod Deo gratum, reip. vniuerſæ
ſalutare fore ſperamus, diſputationem hanc
de ponderibus & menſuris, quæ poſt noſtros
Annales de rebus Hiſpaniæ non ita pridem
euulgatos, fortè his diebus erat in manibus,
craſſo quamuis filo, tenuique contextu, quaſi
primitias mittimus, & indicaturam earum

 lucu-

UVA. BHSC. BU 03005

lucubrationum, quæ ſuperiori tempore inſtitutæ de varijs Philoſophiæ & Theologiæ partibus, hactenus in vmbra delituerunt, maiora daturi pares modò votis & voluntati vires contingant.

## *De aſſe & partibus eius. Cap. 2.*

QVAEDAM Fundamenta ponenda ſunt, quibus moles vniuerſa diſputationis incumbat. Ac primùm de aſſe & partibus eius dicendum eſt: deinde de pede, ſextario, & vncia Romanis, quoniam ad hæc pleraque alia menſurarum & ponderum nomina reuocanda ſunt atque ex illis examinanda. Romani veteres quoduis ferme totum aſſis nomine nuncuparunt, atque in duodecim partes diuiſerunt, quas vncias libræ ad inſtar dixere. Eius conſuetudinis origo & occaſio fuit, quoniam primis vrbis Romanæ temporibus nummis vtebantur æreis quidem, ſingulis tamen libræ pondere, rudibus primùm & informibus, ſignatis deinde, quod accidit ſexto demum Romanorum

Rege.

UVA. BHSC. BU 03005

Rege. Seruius enim Rex primus apud Romanos ſignauit æs, & quidem nota pecudis, vnde & pecunia dicta eſt, & quoniam ea vice pecudum in commercijs vtebantur, vti Plutarchus ait in vita Publicolæ. Sic As, quaſi æs, dictus eſt teſte Varrone. & cùm libra in duodecim vncias diuideretur à Romanis, factum eſt vt As etiam diuideretur in eaſdem, quod manſit imminuto quamuis pondere aſsis, redactoque primùm ad duas vncias tempore primi belli Punici, qui aſses ſextantarij dicti ſunt, vti Plinius ait libr.33. cap.3. Deinde etiam conſequentibus temporibus ad vnciam atque ſemunciam æris redacto aſſe, manſit tamen vetus conſuetudo vt eius partes dicerentur vnciæ. Et quidem initio priſtinus valor aſsi manſit. Deinde (vt fit) valde eſt imminutus, quando Plinius libr.15. cap.1. Appio Claudio, & Lucio Iunio coſſ. duodenæ, inquit olei libræ aſſe vendebantur, quod poſt imminutum aſſem nunquam contigiſſe puto, vt tanta olei vilitas eſſet. Ab ære ad alia traducta voce hæreditatem cęperunt aſsis nomine ſignificare. Quod in iureconſultorum libris paſsim occurrit hæredem ex aſſe vocan-

vocantium, cui integra obuenit hæreditas nullo alio cum eo hærede, hæredem ex triente, aut ex vncia cui tertia pars hæreditatis, aut duodecima (id enim vncia eſt) teſtamento legatur. ſic iugerum terræ Columella aſſis nomine intelligens, lib. 5. cap. 1. in duodecim vncias partitur, vnciamque ipſam in ſicilicum, ſextulam, ſcripulum, & ſemiſcripulum, non ſecus, ac ſi de ponderibus ageret. Prȩterea pedem Architecti menſoreſque cũ ſedecim digitos contineat, in duodecim vncias, hoc eſt, pollices diuiſerunt. continet enim pollex digitum vnum ex communibus cum triente. Inde Beſſales laterculos dixit Vitruuius lib 7. cap 1. qui vnciarum octo, ſiue pollicum eſſent. ſic quatuor digitos, ſiue palmum, vt eſt in editione vulgata. 2. para. 4. ver. 5. illis verbis. Porrò vaſtitas eius habebat menſuram palmi (loquitur de mari æneo) idẽ interpres. 3. reg. 7. ver. 26. tres vncias dixit. Groſsitudo autem luteris trium vnciarum erat. vtrumque rectè, cum palmus, id eſt quatuor digiti, tribus pollicibus, ſiue tribus vncijs pedis æquales ſint. Demum ſextarius aſſis etiá nomine ſignificatur a veteribus, & cũ duodecim cyathos caperet, cyathi ipſi vnciæ

ſexta-

UVA. BHSC. BU 03005

ſextarij vocabantur . ſic in Martiali calices ſextantes, hoc eſt, duorum cyathorum, quadrantes trium, trientes quatuor, deunces vndecim cyathorum calices legimus. Præter hæc aſsis nomine ſignifer, dies, hora, vſura centeſima intelliguntur, multaque alia ſuarum partium comparatione. Sunt autem aſsis partes, vncia nimirum duodecima pars. Sextans hoc eſt vncię duę. Quadrans, id eſt tres vnciæ. Vndè Teruntius à tribus vncijs deducta voce, quarta pars aſsis ſiue quadrās dicitur. Quatrin Italis à quadrante factus videtur: olimq́; centum quadrantes pro ſportula loco cœnæ rectæ dabātur, merces ſalutationum, Budęus de aſſe, lib. 5. Martialis: Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum. Triens, hoc eſt, quatuor vnciæ, tertia aſsis pars. Quincunx, quinque vnciæ. Semis ſex vnciæ aſsis dimidium. Septunx ſeptem vncię. Bes duo trientes aſsis, id eſt octo vncię. Dodrans, tres quadrantes aſsis, id eſt, nouem vncię. Dextans decē vnciæ. Deunx vndecim vnciæ. Sūt & vnciæ partes, nimirum ſemūcia pars aſsis vigeſima quarta, ſicilicus quarta vnciæ pars, aſsis quadrageſima octaua, duella tertia pars vnciæ, ſextula ſexta vnciæ pars



UVA. BHSC. BU 03005

aſsis ſeptuageſima ſecunda. Sed & multiplicato aſſe alia nomina ponderum conſtabant. dicitur enim ab aſſe, treſsis, quadraſsis, nonuſsis, decuſsis, centuſsis pro tribus, quatuor, nouem, decem, & centum aſsibus. vel alio modo ab aſſe aſſarium dicitur eadem aſsis ſignificatione & pondere, vel vt alij volunt dimidium aſsis aſſarium dicitur. Et cum libra ſeu as pondo etiam diceretur, ab ea voce factus dupondius continet duos aſſes. Seſtertius genere maſculino duos aſſes cum dimidio, dictus quaſi ſemiſtertius, ſic ait Voluſius Metianus de aſſe, additque in legibus duodecim tabularum duos pedes & ſemis vocari pedem ſeſtertium, ſic locum legito, Seſtertius autem nummus erat ex argento, quemadmodum maiores monetæ. Præterea nummus abſolutè poſitus ſeſtertius idem eſt Budęus de aſſe libr. 3. Quinarius ſeu Victoriatus, quinque aſsium valore, denarius decem, vnde & nomina manarunt. Erat & libella vnius quidem aſsis valore ſed ex argento: nam aſſes ſemper ex ære cudebantur, valebantque ſinguli quantum quatuor noſtri marauedini, quos latinè liceat quadrantes, aut teruntios dicere. Marci. 12.

ver.

ver.42. vidua offert minuta duo, quod eſt quadrans, nempe illa minuta valebant quantum octaua pars aſsis vti blanca noſtra: dicebanturque minuta non vt minuta Græcorum medicorum, quæ ſunt pondera minima omnium, ſed quoniam minor illa moneta non ſignabatur. Porro Denarius valebat quantum quadraginta quadrantes. Seſtertius genere maſculino quantum decem: ſed ſi ſeſtertium dicas neutro genere mille ſeſtertios intelligere debes, hoc eſt, decem millia quadrantes, nimirum quantum viginti quinque aurei nummi noſtrates, quos coronas ſeu coronatos dicimus, ſinguli valore quadringentorum quadrantum ſeu marauedinorum, quo valore hoc quidem tempore æſtimantur. Nam ſi ſeſtertium cum ducatis noſtratibus velimus comparare, quorum ſinguli continent marauedinos .375. ſeſtertium vnum continebit ducatos viginti ſex, præterea marauedinos.250. præciſe. Quo loco oportet explicare formam numerandi qua veteres Romani vtebantur, tum alijs rebus numerandis, tum præſertim pecuniæ quamuis ſummam ad ſeſtertia fere referentes, &



UVA. BHSC. BU 03005

quemadmodum Græci non vltra decē millia progrediebantur, hoc eſt myriada: ſed eius numeri repetitione maiores ſummas explicabant, vt cum centum myriades dicunt, nempe decies centum millia, aut mille millia. χιλιάδα χιλιάδων. qua etiam loquendi forma vtebantur Græci: ita Romani non vltra centum millia procedebāt. Sed eius numeri repetitione maiores ſummas numerabant, vti Budæus docet libr. 4. de aſſe ex Plinio, lib. 33. cap. 10. Ergo aut per ſeſtertios numerabant, qui abſoluta etiam appellatione nummi erant, aut per ſeſtertia aut per alia, vt aureos, paſſus, pedes, de quibus omnibus dicendum eſt. Per ſeſtertios quidem dicentes. quadraginta ſeſtertij aut nummi, nēpe quadringenti quadrantes, quantum aureus nummus. Quadringenti ſeſtertij aut nummi, quantum decē aurei. Cùm ad mille ſeſtertios perueniebatur, relicto ſeſtertio maſculini generis tranſibatur compendij cauſa ad ſeſtertiū neutro genere, quod mille ſeſtertios continebat. Quomodo cùm numerabant, rurſus id dupliciter faciebant: aut per nomina, vt ſi dicas decem ſeſtertia, nimirum aurei noſtrates. 250. aut centum ſeſtertia, hoc eſt quantū



UVA. BHSC. BU 03005

aurei noſtrates.2500. Lampridius de Helioga balo, Nunquam, ait, minus centum H-S cœnauit, hoc eſt argenti libris triginta. legendũ pro triginta trecẽtis: trecentæ enim libræ argenti valent quãtum aurei.2500. Sic quadrin genta ſeſtertia, nimirum quantum decem aureorum millia, qui erat cenſus equeſtris ſub Iulio Cæſare. quemadmodum ea ſumma duplicata erat cenſus ſenatorius. Erant & mille ſeſtertia quantum mille millia ſeſtertij, viginti quinque millia noſtrorum aureorum. Licet & per aduerbia dicere bis cẽtum, tercentum ſeſtertia, aut biscentena, quatercentena, decies centena ſeſtertia hoc eſt mille. Supra mille ſeſtertia non amplius nominibus, ſed aduerbijs vtebantur Romani, ſumma ſeſtertiorum centuplicata hoc modo dicentes: decies ſeſtertium, id eſt, decies centũ ſeſtertia ſiue mille ſeſtertia, vtroq; enim modo latinè dicas, ſemperque aduerbia iuncta ſeſtertijs centuriam ſubintellectam ſecum afferunt: perindè enim eſt decies ſeſtertium, ac ſi dicas decies centena ſeſtertia: & quod amplius eſt ipſa vox ſeſtertium aliquando non exprimitur, idemque ſignificare ſolet decies abſolutè poſitum aut centies quod decies



UVA. BHSC. BU 03005

centena ſeſtertia, centies centena ſeſtertia. Ergo decies ſeſtertium continet quantum viginti quinque millia aureorum. atque ex eo caſtiganda eſt epiſtola Plinij ad Caluiſium lib. quinto, & pro ſedecies ſeſtertium, nimirum quadraginta aureorum millibus, legendum, decies ſeſtertium: cum quadringenta millia (quę decem aureorum millia valent) idem dicat paulo amplius tertiam partem ſuperioris ſummæ eſſe. Verùm ad alia pergamus Duodecies ſeſtertium, hoc eſt duodecies centena ſeſtertia, hoc eſt ſeſtertia mille ducenta, quantum triginta millia aureorum. qui erat cenſus ſenatorius ſub Auguſto. Vicies ſeſtertium duo millia ſeſtertia aurei quinquaginta millia, quanti æſtimata eſt area domus Ciceronis ad Atticum libr. 4. Septuagies ſeſtertio apud Tacitum lib. 20. efficit centum ſeptuaginta quinq; millia aureorum. Centies ſeſtertiũ, hoc eſt, centies centum ſeſtertia, quanti ęſtimatus eſt vnio Cleopatræ, auctore Plinio lib. 9. capite. 35. nempe aureis noſtratibus 250000. Quadringenties ſeſtertium, hoc eſt quadringenties centena ſeſtertia quanti apud eundem libr. 9. cap. 35. fuit ornatus Lolliæ. Sexcenties ſeſtertium libr. 15. & . 20. Taciti

aureo-

UVA. BHSC. BU 03005

aureorum millio cum dimidio. Tum libr. 5. eiuſdem Taciti diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, hoc eſt duobus millionibus aureorum cum dimidio. Seneca termillies ſeſtertium quadriennio quæſiſſe ferebatur apud Tacitum libr. 13. & de oratoribus ait Eprium Marcellum ſeu Criſpium Vibium poſsidere tantundem, nempe ſeptem milliones cum dimidio. Vitellius Imperator vti idem Tacitus ait lib. 18. paucisſimis menſibus interuertiſſe creditur nouies millies ſeſtertium, nimirum viginti quatuor milliones cum dimidio. Vicies ſepties millies ſeſtertium, quantum pecuniæ Tiberius corraſit & reliquit, vti Suetonius ait in Caligula capite. 37. hoc eſt ſexcenties ſeptuagies quinquies centena millia aureorum, vel vt noſtro more loquamur milliones ſexaginta ſeptem & ſemiſſem, ingens ſumma & vix fidem factura, præſertim cùm idem Suetonius affirmet, tum loco eo, tum in vita Neronis cap. 30. ingentes eas opes à Tiberio relictas breui ſpatio atque adeo non toto vertente anno conſumptas a Caio Caligula & effuſas fuiſſe. Plutarchus in vita Pompei poſt victum Mithridatem ait tributa Romana cre-

creuiſſe ad octuagies quinquies decies centena millia,(nimirum decies centena millia, ſeu decies ſeſtertium, ſeu viginti quinque aureorum millia debent octuagies quinquies ſumi) duos aureorum milliones, centum præterea & viginti quinque millia aureos. Augustus apud Suetonium moriens legauit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies ſeſtertium. nempe populo legauit decies centena aureorũ millia millionẽ vnum, tribubus octoginta ſeptem millia & quingentos aureos, certè cuique tribui centena ſeſtertia aureos. 2500. erant enim tribus 35. Plinius lib. 12. cap. 18. millies centena millia ſeſtertium omnibus annis India & Seres, peninſulaque illa imperio noſtro adimunt, nempe propter vniones & alia quæ ornandis mulieribus inde aduehebantur. Si locus non eſt corruptus, credo perinde eſſe millies centena millia, ac ſi diceret tantum millies. nam aduerbia ſecum centena afferunt & ſeſtertia ſingula mille ſeſtertios valebant. vnde millenarium numerum in ſe includunt. Alioqui ſumma illa ad duo millia quingentos aureorum milliones excreſceret: quantũ pecuniæ in toto Romano imperio non erat. Ita in his

modis

UVA. BHSC. BU 03005

modis numerandi per aduerbia, centum ſiue centena ſubintelligi debent, quæ vox compendij cauſa deſideratur. Quod non tantùm contingit cùm pecuniæ ſummam per ſeſtertia vt monſtratum eſt, ſed etiam cùm aut eandem alio modo, aut alia quæcunque numeramus. Vt ſi dicas decies millia aureorum, perinde eſt ac ſi dicas decies centena millia aureorum, centies millia paſsuum, id eſt centies centena millia. alioqui per nomina dicendum eſſet, decem millia aureorum, aut centum millia paſſuũ, ſi id tantùm ſignificare velimus. ſic quod diximus proximè, ſeptuagies quinquies centena millia aureorum, eadem ſignificatione dici potuit ſeptuagies ſepties quinquies millia aureorum. & in Plinio ſæpe millia paſſuum aut ſtadia eadem ratione debent intelligi. vti idem Budæus explicat l. 4. vti cùm ait Plin. lib. 2. cap. 108. latitudo autem terrę à meridiano ſitu ad ſeptentrionem dimidio fere minor colligitur, quinquies quater millia ſexaginta duo, (ſic Budęus & Hermolaus legerunt) intelligi debet vt perinde ſit, ac ſi diceret: quinquagies quatercentena ſexaginta duo millia, vti Martianus de re eadem agens explicat, hodieque in Plinij codi-



UVA. BHSC. BU 03005

cibus ea lectio eſt, fortaſſe ex Martiano ſumpta. Quæ quidem ſumma perinde valet ac ſi dicas, nouẽ milliones ſeptingenta quadraginta octo millia paſſuum: qui paſſuum numerus efficit, milliarium nouem millia ſeptingenta quadraginta octo millia. Atque cùm multis exemplis illuſtrari hæc obſeruatio poſsit, pauca attigiſſe ſatis habui: vnde colligitur illud Apoc. 9. ver. 16. & numerus equeſtris exercitꝰ vicies millies dena millia δύο μυριάδες μυριάδων ex Græca forma loquendi dictum fuiſſe, cùm ex Romana veteri dici ab interprete potuiſſet, bis millies cẽtena millia. Iam enim dictum eſt Gręcos decem millibus replicatis maiores ſummas efferre, Romanos veteres centum millibus. Ad extremũ ſcire oportet, centum æris aut mille æris, centũ aut mille aſſes ſignificare in veterum libris: adijcitur aliquando æris grauis propter aſſes libræ pondere percuſſos, qui graues, eorum, qui poſtea percuſsi ſunt imminuto pondere, cõparatione dicebantur. Aliquando etiam vox æris ſupprimitur, vt Liuius lib. 39. dixit: Senatus Fuluio quantum vellet impendere, (ſupple in ludis) permiſit, dum ne ſummam octingentorum millium excederet.

nempe

UVA. BHSC. BU 03005

nempe octoginta millia aſſe s,qui efficiunt ad noſtram rationem aureos octo mille.accepe-rat autem à ciuitatibus ad eos ludos , vt ibi-dem dicitur,centum auri pondo.qui valebāt aureos noſtros.9600. Addo & à Boetio de Arithmetica numerum cubum à radice vo-cari . Sic .8. binionem .27. ternionem .64. quaternionem vocat.qua analogia quis con-tendat mille millia non omnino barbarè di-ci poſſe millionem,vti contendit Nebriſſen-ſis repetitione.8. tametſi mille eius numeri radix quadrata eſt,non cubica:in quo ille erra uit vir alioqui eruditus diligentia maxima.

## *De vncia & libra Romanis. Cap.3.*

VNCIAE, Et libræ ponde-ra à Romanis Gręci accepe-runt,quemadmodum & no-mina ipſa. Græci enim mina vtebantur, & drachma.mina centum drachmas continet, cū libra Romana eſſet tantū drachmarū nona ginta ſex,vnciarū duodecim. drachma octa-ua pars vnciæ erat nō tantū in cæteris merci-monijs,ſed etiā medicorū vſu.ſicenim Dioſ.

de menſu. & ponder. cap.1. ait: vncia habet drachmas octo, ſcripulos.24. cum quo conſentit Galen. lib.6. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera. Erant præterea vnciæ & libræ non modo ponderales ſed etiam menſurales tum Romanis tū Græcis: quod inter nos hodie etiá vſurpatur, præſertim inter medicos. Id conſtat ex Colume. lib.12. cap.21. cùm de muſti conditura agens duabus vncijs inijci mandat ſemunciam ſalis benè plenam: & ex Galeno lib.6. de compoſit. medica. per genera cap.18. his verbis: Ego ſanè olei libram Romæ vocatam, quam per inciſuris diſtincta cornua metiuntur, ponderaui quandoque diſcere cupiens quantum grauitatis pondus contineret: inueni duodecim olei menſurales, decem vncijs ponderum æquales. De menſuralibus vncia, & libra hoc loco non diſputamus, ſed de ponderalibus, quas Hebræis, Græcis & Romanis veteribus vnius ponderis fuiſſe magis creditur à doctis viris quia contrarium non probatur, quàm ſit certo argumento firmum. Sed & coniecturæ ſuppetunt, neque validę, neque prorſus reijciendę, Græcos, quæ à Romanis acceperant eodem pondere retinuiſſe, veriſimile eſſe: Siclum

UVA. BHSC. BU 03005

Siclum Hebraicum ſemunciæ pondere non vulgaris ſed Atticæ viſum, quam vnciam putant minorem aliquanto vulgari noſtra eſſe, æqualem Romanę veteri. Quantum autem Romana ſeu Attica vncia minor ſit noſtra nō conuenit inter auctores: quidam veterem Romanam vnciam libramque conuenire putant, pareſque eſſe ponderibus medicis, quibus medicamentis conficiendis vulgò vti cō ſueuerunt: quæ haud dubium minora ſunt parte quintadecima alijs communibus ponderibus. Ita vncia medicorum drachmas ſeptem & ſemiſſem continet, libra vndecim vncias & drachmas communes duas. Alij putant Romanam libram vnciamque veterem minores eſſe noſtris parte amplius vigeſima: ſic vt antiqua libra Romana contineat vncias vndecim noſtras, ſcripulos decē, noſtra maior ſit Romana ſcripulis quatuordecim. vncia antiqua ſeptem drachmas contineat, ſcripulum vnū grana viginti, minor noſtra vncia vulgari ſcripulo vno, granis quatuor. Sed quę tāta aſſeueratione dicūtur, neſcio an confirmari ſatis poſsint. nā ex pōdere denariorū Romanorū leue argumentū ducitur, cū vſu & antiquitate ſint detriti, neque eiuſdem ponderis ſem



UVA. BHSC. BU 03005

per fuerint, Plinius enim lib.33.cap.9.ſeptem denarios vnciæ tribuit, nimirum libræ.84. quod ſequitur Celſus lib.5.cap.17. at Galen. de cõpoſit. medicam. ſecundũ genera, lib.5. cap.6.octo denarios vnciæ tribuit, nã ſeptem vncias & ſemiſsẽ ſexaginta denarios eſſe ait. neq; Plin. ſibi cõſtat cũ lib.21.cap.34.denariũ dicat drachmæ pondere eſſe. Quòd ſi nouo argumento, quo alij vtuntur, vetera pondera afferas quæ paſsim inueniuntur libræ, ſemiſſis, quadrãtis, ſextantis e lapide aut ex ære noſtris minora: reſpondebo, neque ipſa paria inueniri, vt ipſimet qui inuenerunt, confitentur: neque mirum eſt diuturnitate temporis aut detrita eſſe aut imminuta rubigine, vt certi nihil ex ijs conſtitui poſsit. Ac credam potius vetera pondera cum noſtris vulgaribus conuenire, quemadmodum cum Romanis Græca, & Hebraica conſentire dant, magis quia diuerſum probari nõ poteſt, quã certo aliquo argumento, nã & vulgares à Romanis ſicut à & Græcis Romana ſunt accepta, neq; eſt veriſimile omnes hodie nationes fere in eadem pondera conſpiraſſe, niſi ea à Romanis antiquis imperij temporibns accepiſſent. Præterea eam rationem facillimam fore cogita-

UVA. BHSC. BU 03005

gitabam pondera & menſuras inter ſe comparandi, ſi vnciam demus non diuerſi ponderis antiquis temporibus & noſtris fuiſſe. Tametſi diuerſam etiam rationẽ conſectabimur ponderibus & menſuris diuerſarum gẽtium exæquandis, præſertim eorum, qui vetera pondera Romanorum noſtris medicis paria eſſe contendunt, ne laborem & moleſtiam calculandi & numerorum minutias ſubterfugiſſe nos aliquis iure accuſare poſsit. Præſertim cùm vulgaria medicorum pondera cum antiquis & cum alijs ponderibus vulgaribus comparare conſtituerim. Atque de vncia & libra Romana hactenus: ad ſextarium progrediamur.

### *De ſextario Romano. Cap. 4.*

SEXTARII Non vnum pondus, neque vna menſura fuit, ſed multiplex: nã præter vulgarẽ Azũbris quadrantẽ, quẽ in hac diputatione ſextarium Toletanum vocabimus, erat Hebraicus ſextarius, Atticus atq; Romanus. Sed de alijs alio loco copioſius explicabitur.

nunc

UVA. BHSC. BU 03005

nunc de ſextario Romano dicendum eſt, quoniam ex eo cognitio aliarum omnium menſurarum pendet, cùm Hebraicus ſextarius duas tertias Romani contineat, vti poſtmodũ demonſtrabitur apertè, Atticus tres quartas eiuſdem. & ſi recipitur vncias Romanas veteres pares noſtris communibus eſſe, Toletanus ſextarius quatuor omnino quintas Romani ſextarij continebit. Pręterea amphora Romana capit ſextarios Romanos, quadraginta octo, vrna viginti quatuor ſextarios, modius Italicus ſextarios ſedecim. Sic ex cognitione ſextarij Romani aliarum menſurarum cognitio pendet, & cum ea eſt implicata. Facillima ratio inueſtigandi quantum caperet is ſextarius, ex pondere ſumenda eſt eius, in vino aut aqua. parum enim hi duo liquores diſcrepant. nam oleum nona parte leuius eſt aqua, decemque vncię aquæ nouem vncijs in oleo reſpondent. mel autem ſemiſſe grauius eſt aqua. Sic viginti vncijs in aqua triginta in melle reſpondent. Hoc eſt, ſi vas aqua repletum pendet vncias viginti, idem repletum oleo pendebit vncias decem & octo, idem repletũ melle pendebit vncias triginta. Ergo de ſextarij Romani pondere auctores

non

UVA. BHSC. BU 03005

non conueniunt. Heſichius vncias viginti
quatuor illi tribuit, quod ſequitur Budæus,
& eius auctoritate alij recentiores. Iſidorus
huic ſententiæ fauet cum libr. 16. cap. 25. He-
mina inquit, appendit libram vnam, quæ ge-
minata ſextarium facit. & rurſus modio attri
buit ſextarios viginti duos, libras quatuor &
quadraginta. Non pauci decem & octo vn-
cias ſextarium Romanum pendere in aqua
affirmant, quod dixit Galen. de ponder. &
menſ. ſic enim ait: alij dicunt ſextarium habe
re põdus libræ & ſemiſsis. & rurſus, Trybliũ,
(quod eſt dimidium ſextarij) habet vncias no
uem. Verum hoc in oleo intelligi ſequentia
declarant, ſicut & Dioſc. de põder. & men-
ſur. tribuens ſextario aquæ vncias decem &
octo vitiatus eſt, vt Græci codices declarant
non de aqua ſed de oleo agere, neque aquæ
pondus à vini ſeiungere, quod latini codices
quidam corruptè habent. Peritiores tamen
ſextarium Romanum in aqua aut vino pen-
dere vncias viginti malunt. Hermolaus Bar
barus, Leonardus Portius, alij omnes permo
ti tum aliorum antiquorum auctoritate, tum
Fannij, cùm ait. Nam libræ, vt memorãt, beſ-
ſem ſextarius addit: Seu puros pẽdas latices,

ſeu dona Lyæi. Addunt ſemiſſem libræ labentis oliui, Selibramq́; ferunt mellis ſupereſſe bilibri. Vides ſextario in aqua aut vino tribui pondus vnciarum viginti, in oleo. 18. in meſle triginta. Quod ſequitur etiam libellus Galeno attributus de pond. & menſ. Hæc nobis ſententia quæ media eſt, duabus alijs præferenda videbatur: præſertim cùm antiquorum dicta facile explicari poſsint. nempe qui ſextario vncias viginti quatuor dederunt, ijde menſuralibus locuti ſunt, vti ex Galeno attulimus lib. 6. de compoſit. medica. per genera. c. 8. duodecim vncias menſurales decẽ vnciarum pondus habere. quod ab eo in oleo dictũ, Oribaſius ex Adamantij ſentẽtia dixit: ſextarium Italicum vini quidem menſura vncias viginti quatuor pondere, libram noſtrã ac vncias octo habere. Qui vero decem & octo vncias ſextario dederunt, aut in oleo explicandi ſunt, aut non de ſextario Romano locuti ſunt, ſed de ſextario Attico (ſic nos interpretabamur) qui vncias quidem menſurales. 18. continet, nimirum pondus vnciarum omnino. 15. ſic enim Galenus ait eodem opere libr. 5. cap. 6. Atticam Heminam nouẽ Italicas vncias conficere: additq́;

pen-

UVA. BHSC. BU 03005

pendunt enim .9. Italicę vnciæ, quas in corni bus inſectis metiuntur, ſeptem vncias ponderales & ſemiſſem: quod de oleo etiam dictũ placet ad vinum aut aquam traduci. Quo loco apertè perſpicitur erraſſe quicũq; ſextario Attico dāt pondus vnciarum octodecim, Romano vncias viginti menſurales non pōderales, quod facit Georgi. Agricola lib. 1. erraſſe alios qui ſextariũ Romanum Toletano parē faciunt, cùm huius pondus in vino aut aqua eſſe vnciarum modò ſedecim minime dubiũ ſit. Quod ſi Romanas vncias veteres pares cō munibus noſtris eſſe recipitur, ſextarius Romanus comparabitur cum noſtro proportione ſexquiquarta, ſeu quod idē eſt, Toletanus, quatuor quintas Romani ſextarij cōtinebit. Si autem veteres vncias malumus medicis vncijs noſtræ ætatis pares eſſe. viginti vnciæ veteres ex noſtris communibus continebunt vncias. $18.\frac{3}{4}$. hoc eſt vncias octodecim octauas ſeu drachmas ſex: quæ faciunt adarames noſtros duodecim. Comparabiturque hac ratione ſextarius Romanus cum Toletano proportione quę eſt .75. ad .64. vt conſtat vtriuſque ſextarij vncijs in ſuas quartas partes diuiſis. nempe proportio



UVA. BHSC. BU 03005

erit ferme ſeſquiſexta. Quæ omnia intelligentia comprehendenda & memoriæ commendanda putabam, magnam enim lucem vniuerſæ diſputationi afferre poterunt. Vitruuius lib 7. cap.8. ſextarium argenti viui pondo ait eſſe viginti quinque. Nos facto periculo inuenimus ponderare libras viginti tres, vncias decem, octauas ſeu drachmas ſeptem. fortaſsis argentum viuum illud non erat vſquequaque defecatum: ſed ex quo certè perſpicitur, neque Romana pondera minora eſſe noſtris, neq; ſextarium Romanum continere vncias ponderales octodecim, longè enim ratio Vitruuij à noſtro experimento aberraſſet.

## De pede Romano. Cap. 5.

MENSVRA Pedis Romani ſi certa ratione eſſet explorata, magna nos moleſtia cæteris conſtituendis liberaſſet: ac præſertim quantus eſſet ſextarius Romanus definire in prõptu eſſet: atque ex eo quid de vncia & ponderibus Romanis ſentiendum eſſet, vna opera

UVA. BHSC. BU 03005

opera conſtitueretur. Pendit enim ſextarius Romanus viginti vncias Romanas præciſè, idemque eſt amphoræ Romanæ pars omni-no quadrageſima octaua. Amphora autē Ro-mana pedis Romani menſuram quoquo ver-ſus habet, vnde & à forma quadratoq́; pede, quadrantal dicitur. Sic enim Feſtus ait: Qua-drantal vocabāt antiqui: quam ex Græco am-phoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit ſextarios. Idem Fannius alijque omnes tradunt quaſi rem minimē du-biam. ſic ex pede Romano iuſto confecta am phora, de ſextarij menſura & pondere iudica re facile erat, ea diuiſa in octo & quadraginta æquas partes. Video tamen de pede Romano diſceptationem eſſe, neque inter ſe eruditos conuenire. Tres enim pedis formas menſu-raſque afferunt, minimam, mediocrem, ma-ximā ita inter ſe comparatas, vt maxima me-diocrem ſuperet ferme ſicilico, id eſt parte pe dis mediocris quadrageſima octaua, pes me-diocris minimum ſuperet ſextula plus mi-nus, hoc eſt, parte pedis minoris ſeptuageſi-ma quinta. Sic pes maximus minimum ſupe-rat duella, hoc eſt minimi parte trigeſima ſexta. Maximum pedem pro vero, ſuperiori

 ſæcu-

UVA. BHSC. BU 03005

ſęculo eruditi habebant.& Philander in Vitruuium lib.3.cap.3. ex columna Porphiretica deprehendiſſe ſe Romæ ait. meminit eius columnæ etiam Marlianus de antiquitatibus vrbis Romæ. mediocrem Leonardus Portius primus pro vero tradidit ex marmorea baſſe ſepulcri CN. Coſſutij ſculptoris, quę cùm in hortis Angeli Colotij Romæ eſſet, Colotianus pes vulgò vocatur. quę ſententia & menſura magno eruditorum plauſu ſuperioribus annis celebrata eſt. minimum pedem Pętus inuexit de pond.& menſ. libr.1. ex tribus pedibus æreis , quos ſe Romæ vidiſſe affirmat , ſumpta occaſione nouandi. Verum nos cùm ſextarium ſciamus, quod & ille fatetur lib.3.viginti vncias pendere in vino aut aqua,ſiue æquales noſtris vncijs ſint, ſiue minores parte quintadecima, vti ſuperius eſt dictum : amphoram ex illo pede Romano ſextarios.48. eius ponderis non capere manifeſtè deprehendimus. Congius.8.pars eſt amphoræ Romanæ capiens ſex omnino Romanos ſextarios , fitque ex ſemiſſe pedis Romani quoquo verſus. Factis ergo duobus congijs altero ad menſuram ſemipedis Colotiani, altero ad ſemipedis Porphiretici modum

UVA. BHSC. BU 03005

dum, Congium priorem capere animaduerti ſeptem ſextarios Toletanos. (ſinguli pendunt vncias ſedecim) qui efficiunt addita tantùm parte .32. vnius Toletani ſextarij, ſex Romanos vnciarum decem & octo, drachmarum ſeu octauarum ſex, quod eſt iuſtum ſextarij Romani pondus, ſi vncię veteres ſunt pares noſtris medicis. Congij octo, quos capit amphora, quorum ſinguli continent ſeptem Toletanos ſextarios & partem præterea.32. (quæ vix poteſt ob exiguitatem obſeruari) efficient ſextarios Toletanos .56. &. $\frac{1}{4}$. qui ſubducta ratione efficiunt ſextarios Romanos .48. quorum ſinguli viginti vncias medicas contineant, communes vncias.18. $\frac{3}{4}$. ſeu quod idem eſt vncias octodecim, octauas ſeu drachmas ſex. Congius alter & maior capiebat ſeptem Toletanos ſextarios & ſemiſſem. ſic vt amphora ſexaginta ſextarios Toletanos caperet, nimirum quadraginta octo Romanos ſingulos vnciarum communium viginti. Nam vt ſextarius Romanus huius põderis comparatur cũ Toletano proportione ſexquiquarta, ita numerus.60. excedit numerum .48. eadem proportione, quocirca minimi pedis Romani

effigiem

effigiem eius excludimus, quaſi nothi pedis, certe poſterioris temporis, cùm Congius ex eius ſemiſſe factus ſex ſextarios Romauos prioris aut poſterioris ponderis nõ capiat, ne amphora quidem ex integro pede facta quadraginta octo ſextarios id genus. mirorque Pætum diuerſum ſe obſeruaſſe facta amphora ex ſuo pede affirmare. Sed nimirum in lubrica obſeruatione decipi facile fuit, & ſuis opinionibus ſemel ſuſceptis fauet animus. Et ne quis accuſet menſuras pedum in charta expreſſas minores quam in typis eſſe, propterea quod charta humore extenditur, ariditate contrahitur: is ſciat ne id quidem in noſtris obſeruationibus fuiſſe prętermiſſum: ſed triũ pedũ modũ vt typis æreis reſponderent, & ipſis prototypis ex lapide, aut ex ære madefacta charta ſumpſiſſe, ea menſura quam hoc loco exprimam, vt ſtudioſorum conatus hac etiam parte iuuentur. ſi prius addidero, nobis ex tribus pedibus maximum legitimum videri: qui expeditiſsimam rationem præbet pondera & menſuras comparandi inter ſe, credamque duos alios minores iuſto eſſe. Sed ex pede Colotiano atque amphora ad eam menſuram extructa factum puto, vt recentio

res

UVA. BHSC. BU 03005

res in eam ſententiam abierint (cuius veſtigium in paulo antiquioribus non inuenio) vncias Romanas veteres minores noſtris communibus eſſe.

*Tres ſemipedes Romanos non eadem menſura adijcimus, Porphireticum, Colotianum, & Pæti: quorum ex parte vna quatuor digiti, ex altera tres pollices deſignantur. Continet enim pes digitos ſedecim, pollices, ſeu mauis, vncias duodecim.*

)(:)(



UVA. BHSC. BU 03005




UVA. BHSC. BU 03005

## De ponderibus Hebraicis. Cap. 6.

DE Vncia, ſextario & pede Romanis, quid ſentiendum ſit hactenus explicuimus: nunc ad alia pondera & menſuras progrediendum eſt. Et vt honos antiquitati habeatur, ſimul quoniam de diuinis libris præcipua cura erat, in ſingulis generibus, Hebraicis ponderibus & menſuris explicatis ad Græca & Romana procedemus. Atque in ſingulis ea dicemus, quæ nobis quidem veriſimilia maximè eſſe videbuntur, magnorumque virorum fide & auctoritate fundata.

### *De Talento Hebraico.*

TALENTVM Quod primum & maximum apud omnes nationes pondus proculdubio eſt, ab Hebræis KiKar vocatur, id eſt torta ſeu maſſa, quod rudi pondere eſſet, neque percuſſa aliqua imagine, magis pondus, aut nummorum ſumma. Pendebat minas quinquaginta, drachmas duodecim millia, quod certa ratione colligitur



UVA. BHSC. BV 03005

exodi cap 38. ver.25. vbi Hæbraice Græceq́; ex hominibus ſexcentis tribus millibus quin gentis quinquaginta, cùm ſinguli ſoluiſſent per capita dimidium ſiclum, hoc eſt drachmas duas, redacta fuerunt centum Talenta argenti, præterea ſicli.1775. ſic ex ſexcentis millibus hominum centum Talenta redacta ſunt, ex minori numero hominibus 3550. ſiclorum numerus.1775. atq; adeo ſingula hominum ſex millia, cùm quilibet dimidium ſiclum dediſſet, talentum obtulerunt. Ergo talentum Hebraicum drachmas pendebat duodecim millia præciſe. Hoc eſt ſi drachmæ illæ pares noſtris erant, vti veriſimilius iudicamus, Talentum quidem auri Hebraicũ continebat quantũ aurei noſtrates.12750. pendunt; cum ex octo vncijs auri ſeu beſſe libræ (marcum nos dicimus) 68 aurei cudantur. Quod ſi Talentum argenti erat, pendebat quantũ argentei nummi noſtrates 12562 & ſemis, quia ex octo vncijs argenti, ſignantur argentei nummi 67. Epiphanius talentũ facit librarum 125. libram duodecim vnciarum, quocirca drachmas pẽdebit duodecim millia. Dionyſius etiam Halicar. lib. 9. duo millia aſſes ſiue libras efficere ait ſedecim talenta

lenta

UVA. BHSC. BU 03005

lenta æris. Sic cuilibet Talento ratione ſubducta duodecim millia drachmæ prouenięt. Neq; diſſentit Vitruuius cum lib. 10 cap. 21. Talentis quatuor .480. pondo tribuit, hoc eſt, cuiq; libras centũ viginti: minas mallē dixiſſet: nã. 120. minæ libras efficiunt 125. quas apud quaſdã gentes Suidas ait Talentum cõtinere: τὸ τάλαντον παρὰ τίσιν ἔχει λίτρας. ρκε. Ideę; Heſichius ait Talentum apud quoſdam minas. 120 pendere. Vides non ex ſacris litteris modo probari Talentum antiquiſsimũ duodecim millia drachmas continere, ſed etiam eodem pondere extare apud alios ſcriptores. Verum ijs quæ dicta ſunt ingens Talentorũ numerus opponi poteſt paſsim occurrens in libris ſacris .1. Paral. 22. ver. 14. auri talenta centum millia, argenti mille millia Talentorum relinquere ſe Dauid in theſauris templo ædificando ait. & cap. 29. ver. 4. tria millia Talentorum de auro Ophir, & ſeptem millia Talentorum argenti probatiſsimi deaurando templo ſe relinquere ait. Quæ ſummæ ſi ad aureos noſtros referantur, immēſum creſcent, vix vt credi poſsit, ac ne vix quidem, vt ex tantulo regno Dauid tantum auri & argenti per totam vitam collegerit. Quare

 placet

placet quod Eupolemus, cùm de templi Hie-
roſolymitani ſtructura & expenſis in ea fa-
ctis agens addit: Talentum autem dico,
quod ſiclum appellant. affert Euſebius lib. 9.
de præparatione Euangelica capite .4. Sic
ſumma factæ expenſæ quadragies ſexies cen-
tena millia, quæ inſumpta templo extruen
do, idem Eupolemus ait, de ſiclis intelliga-
tur. quæ nihilominus perueniet ad drach-
mas auri .1840000. nimirum quantum au-
rei noſtrates .1932990. nempe milliones
amplius decem & nouem. Non diſcrepat
ab hoc Talento drachmarum quatuor Ho-
merus, cum Iliados .23. inducit Achillem in
funere Patrocli inter alia funebria præmia
ſeruam cum tripode, equam prægnan-
tem, lebetem, quarto loco proponentem
duo auri Talenta τῷ δὲ τετάρτῳ θῆκε δύο χρυσοῖο
τάλαντα. Quod Suidas exponens ait Talen-
ti voce ab Homero numerum quendam ſig-
nificari certé pecuniæ, exiguumque admo-
dum. Vides Talenta apud Hębreos gemi-
na haud dubium fuiſſe, alterum drachma-
rum .12000. alterum drachmarum quatuor
tanto inter ſe interuallo diſcrepantia. Et qui
dem de quo Talento agatur in quibuſdam
locis

UVA. BHSC. BU 03005

locis ſtatuere facile eſt , vti locis modò citatis , alijs locis difficilimum prorſus eſt, arduaque res . Vt veriſsime Budæus dixerit libr.4. de aſſe, æſtimationem opulentiæ Hebraicæ fieri non poſſe ob Talenti varietatem. Quis enim diuinet cuius generis Talenta auri centum viginti fuerint, quæ Regina Saba dedit Salomoni .3. reg.10. Si enim ſiclos dixeris totidem , exigua ſumma , ponduſque auri erit, donum inter Reges exile : ſi Talenta primi generis excreſcet ſumma ad aureos .1530000. nimirum millionem vnum cum dimidio , ſupra fidem tantum auri allatum ab ea Regina fuiſſe. Sed nimirum quidam multa alia Talentorum genera Hebræis vſitata eſſe prædicant : quod vellem idoneo argumento confirmarent. Ac primum Talentum ſanctuarij & Talentum congregationis faciunt , certè Lyra Exod.38. ex ſentententia Rabbi Selomo , vt Talentum ſanctuarij ſit de quo dictum eſt drachmarum 12000. Talentum congregationis ſit drachmarum. 6000. ſemis alterius . Quam diſtinctionem à multis reprobatam videmus, eamq; ſi probare nos vellemus, fortaſsis Talen-

UVA. BHSC. BU 03005

lentũ potius cõgregationis vocaremus quod
continet.12000. drachmas: Talentum ſan-
ctuarij crederemus.24000. drachmas pende-
re propter auctoritatem Ioſephi : qui cum
libr.14. Antiq. cap.12. minæ tribuat duas li-
bras & ſemiſſem, nempe ſiclos ſexaginta: idẽ
lib.3. cap.7. agens de cãdelabro aureo ait: Cã
delabrũ quod vnius Talenti erat, minas centũ
pendere, nimirum drachmas.24. millia. Affe
runt alij Talentum quod numiſmaticum vo
cant, & auro potiſsimum deputari credunt,
mille drachmarũ põdere, qualia.120. auri Ta
lẽta à Regina Saba Salomoni dono data fuiſ-
ſe affirmant. nimirũ quoniam Ioſephus vigin
ti modo Talenta dediſſe ait, certè ſingula
drachmarum.6000. ex quanto pondere aiũt
Talentum congregationis fuiſſe, ita vt ſexta
eius Talenti pars talentum etiam diceretur,
3.reg.10.ver.10. quemadmodũ apud AEgy-
tios drachma erat oboli pondere, nempe cũ
obolus iuſtæ drachmæ pars ſexta eſſet. Ad-
dunt Talenti decimam Talentum vocari, nõ
alio argumento quàm quòd lib 1.Paral.cap.
22.ver.4. cùm à Dauide relicta dicãtur centũ
millia auri Talenta, argenti mille millia, Io-
ſephus lib.7. cap.11. eius ſummæ decimam
ſcri-

UVA. BHSC. BU 03005

ſcribit decem millia auri Talenta argenti centum millia. ſed quid hoc ſit niſi diuinare, & ſubterfugia quærere locis ſcriptorum conciliandis. Porro cùm natura in ſe infinitam partiendi præbeat facultatem, in quot partes Talentum partiri poſſumus, tot licebit genera Talentorum excogitare, præſertim ſi locis ſcriptorum diſcrepantibus commentum poſſit velari, cùm in promptu potius ſit existimare Ioſephi numeros multis locis eſſe vitiatos: quod facile fuit, cùm non per literas, ſed per notas ſcriberentur. Alioqui quomodo explicabunt, quod eodem libr. capite. 8. legitur Abſalonis cæſariem ducentos ſiclos pendere, eoſque ſiclos quinque minas ſeu pondo facere. niſi forte de minis Romanis intelligatur aut Alexandrinis, quas viginti vnciarum eſſe ſingulas libellis de ponder. & menſur. Galen. & Dioſcor. affirmatũ reliquere. Relinquatur ergo Hebraica Talenta gemina manifeſtè fuiſſe, magnum drachmarum duodecim millium, minimum drachmarum quatuor. Inter hæc an alia fuerint Talenta, & credi poſſe, & certa id ratione aut auctoritate non poſſe probari.



UVA. BHSC. BU 03005

### *De Mina Hebraica.*

DE Minæ Hebraicę pondere auctores variant, neque facile eſt opinionem opinioni præferre: maiori tamen auctoritate & numero Minæ Hebraicæ dant ſiclos ſexaginta. quibus Ezech. verba fauent capite. 45. ver. 12. dicentis. Porro viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli minam faciunt. Sic mina continebit drachmas ducentas & quadraginta, vncias triginta, libras duas & ſemiſſem, vti Ioſephus affirmat lib. 14. cap. 12. Vnus Lyra ad cap. Exod. 38. ex ſententia Rabbi Selomo minæ dat ſiclos modò viginti quinque, Talento (quod centenarium vocat) congregationis quidem minas ſexaginta, nempe ſex millia drachmas, ſanctuarij autem minas centum & viginti, ſummamque drachmarum duplicatam. Quod cùm ſentiunt, Ezechielem explicant loco citato, non minæ tantùm pondus integrum explicuiſſe, ſed etiam eius partes, quatuor quintas ſiclis viginti, tres autem ſiclis quindecim. Conuenit cum hac ſententia Pollux, nam apud omnes gentes affirmat, Talentum quidem minas ſexaginta pendere. Minam autem drachmas centum Minas

UVA. BHSC. BU 03005

nas & drachmas pro gentium varietate va rio eſſe pondere. Nos tamen Ioſephi ſenten tiam ſequemur magis vt apparet cum Ezech. verbis conuenientem: aut fortaſsis primis temporibus mina Hebraica ſiclorum ſexaginta fuit drachmarum .240. conſequentibus drachmarum centum exemplo nationum aliarum. Sed & minores quaſdam minas quaſdam fuiſſe confiteri oportet, cum 3. reg. 10. ver.17. legamus: trecentæ minæ vnam peltam veſtiebant. Quis enim tam firmo eſſet corpore, vt clypeum trecentarum librarum, aut.750. ſi Ioſephum in minæ pondere ſequimur, brachio ſuſtentaret. Sed nimirum locus hic vitiatus eſt, cùm Hebraicè, Græcè, & Caldaicè tres tantum minas legamus vnam peltam veſtijſe. aut cùm. 2. Paralipomen.6. ver.16. legamus trecenta quoque ſcuta trecentorum aureorum, pro aureis, in libris Reg. interpres minas ſubſtituit: cùm potius trecenti aurei drachmales faciant minas tres iuxta Lyræ ſententiam ſiclos.25. minæ tribuentis. Verùm quo pacto 1. Machabæorum .14. ver. 24. Simon mittit Romam clypeum aureum minarum mille, niſi minæ multo minores erant, fortaſsis



UVA. BHSC. BU 03005

ſicli ſingulæ( vt de Talento diximus) aut drachmæ pondere. quod vt coniectura nititur probabili, ita vellem argumento aliquo poſſet confirmari.

*De ſiclo.*

SICLVS Haud dubiũ pẽdit drachmasquatuor, ſic enim Hiero. ait ad cap. 4. Ezech. Siclus autẽ, id eſt, ſtater habet drachmas quatuor: octo autem drachmæ latinam vnciam faciunt. Erat ergo ſicli pondus ſemunciæ. ſed & ſiclos minores dimidio fuiſſe perſuaderi poteſt, quod vbi. 2. Reg. 14 ver. 26. cæſariem Abſalonis dicitur pendere ſiclos ducentos pondere regio ſeu publico, ſeptuaginta interpretes centum ſiclos poſuerunt. nimirum quod ſiclum ponderis publici ſemiſſem eſſe exiſtimarunt ſicli maioris. Hinc nata eſt multorũ opinio, ſiclum duplicem eſſe, publicum ſeu congregationis duarum drachmarum, alterum ſanctuarij drachmarum quatuor. & quidem de minori ſiclo locutus eſt Epiphanius cùm dixit. Siclus eſt quarta pars vnciæ dimidium ſtateris. De hoc ſiclo intelligi debet liber. 1. Machab. cap. 10. ver. 42. vbi Demetrius Rex remittere ſe ait Iudæis quinq; millia ſiclorũ: cùm Ioſephus lib. 13. cap. 5. pro quinq; millibus

UVA. BHSC. BU 03005

millibus ſiclorũ , poſuerit decem millia drachmas. Tales ſicli quinq; millia fuerunt, quos pendebat Goliath thorax .1. Reg. 17. ver. 6. alioqui maius pondus, quam quo portando vires vnius hominis eſſent. Quod cùm in fre quẽtiori vſu fuerit ſiclus minor didrachmus, factum eſt, vti didrachmi nomine promiſcue vterq; ſiclus a ſeptuaginta interpretibus intelligatur. certe Exod 30. & Leuit. vlt. pro ſiclo quatuor drachmarum didrachmũ ipſum poſuerunt. Hanc ſicli diſtinctionem, quam ad alia fere pondera & menſuras eius auctores extendunt, reijciunt alij recentiores quaſi cõmentum Iudæorum, nulla certê ratione fundatum. Ea tamen quæ dicta ſunt, & in poſterũ addentur, quid ſentiendũ ſit declarabunt.

*De Aureis Hebraicis.*

CVM in Diuinis libris aureorum, aut argẽteorũ ſit mentio, quod fere cõtingit hac forma loquendi, decem aut viginti aut triginta auri argentive, pleriſq; aut omnibus locis ſicli vocem ſubaudiendam viri eruditi exiſtimarũt, quod noſter etiam interpres ſecutus eſt. Gen. certé 24. ver. 22. quod Hebraice dicitur: duas armillas decẽ auri põdus earũ, ipſe dixit pondo ſiclorum decem. Gene. tamen



UVA. BHSC. BU 03005

cap. 37. ver. 28. pro viginti argenti quibus venditus eſt Ioſeph, noſter interpres viginti argẽteis dixit, cũ dicere potuiſſet viginti argẽti ſiclis, vti Chaldaice poſitũ eſt. Itẽ. 3. reg. 10 ver. 29. educebatur quadriga ex AEgypto ſexcentis argenti, quod repetitur. 2. Paral. 1. ver. 17. interpres tamen priori loco ſexcentis argẽti ſiclis dixit, poſteriori, ſexcentis argenteis eadem ſignificatione. Idem obſeruo Iud. 8. ver. 26. & 2. reg. 18. ver. 10. in ſimili forma loquendi ſicli vocem in noſtra editione eſſe expreſſã. Tales credimus triginta argẽteos fuiſſe quos Iudas accepit a Iudęis proditionis pretium. Qui enim ſingulos decem denarios valuiſſe aſfirmant, eaq; ſumma Iudam compẽſare voluiſſe vnguenti effuſi æſtimationem, acutè magis quam verè loquuntur. Atque quæ hactenus dicta ſunt cùm vera ſint, certe veriſimilia admodum: adijciunt quidam pondera, & monetas aureas minores dimidio apud Hebræos quidem argenteis fuiſſe. ſic ſiclum aureum ſanctuarij duarum drachmarum, publicum vnius modo drachmæ fuiſſe. qua ratione cum 3. reg. 10. ver. 17. Hebraicè Gręcèq; ſingulis peltis induxiſſe Salomonem dicatur tres auri minas. 2. Parali

rali. 9. ver. 16. trecentis aureis ſingula ſcuta tecta fuiſſe dicitur. nimirum cùm mina centum drachmas pendat, aurei illi ſinguli vnius tantum drachmæ pōdere fuerunt. Neq; enim commodiorem rationem conciliandi inuenias, non etiam ſi minam feceris ſiclorum ſexaginta, quod Ioſephum ſentire diximus. Ni forte placet magis, ſuſcepto eas minas cētum tantum drachmarum fuiſſe, confiteri eo loco, dimidium ſicli aurei publici vocari abſolute aureum, ne opus ſit tot comminiſci diſtinctiones, ſicloſq; aureos affirmare, ab argēteis ſiclis pondere diſcrepare. quod nō video certo aliquo ergumento confirmari.

*De Gheràh ſeu obolo Hebraico.*

GHERA Sicli pars eſt vigeſima, drachmæ pars omnino quinta. Ezech. 45. ver. 12. Siclus viginti Gheras habet noſter interpres obolū fere reddit, tametſi obolus Græcis pars. 6. drachmæ eſt, ſic Gherá obolum continet, & 5. eius partem præciſe. Chaldæus pro *Gheràh* vertit *Meghà* quam pendere dicunt ſedecim hordei grana, cum obolus duodecim tritici grana pendat. atq; adeo *Gheràh* cum obolū cōtineat, & quintā eius partē pendet grana tritici quatuordecim cum dimidio fere: pōduſq;

*Meghà*

UVA. BHSC. BU 03005

*Meghà* Chaldaici atque *Gheràh* Hebraice idem erit: quòd hordei grana leuiora ſunt tritici granis. 8. circiter parte. Erat etiam in Arabia moneta *Qeſitàh* nomine eiuſdem ponderis cum *Gheràh*: vnde cùm ea voce ouis ſignificetur, noſter interpres Gene. 33. ver. 19. pro centum *Qeſitàh*, quibus Iacob emit agrum à Sichimitis, poſuit centum agnos. Tum Iob vltim. cap. ver. 11. vbi dicitur, amicos Iob dediſſe illi ſingulos *Qeſitàh* vnum, dixit ipſe ouem vnam: cùm Hebræi potius vtroque loco monetam ea voce ſignificari credant, quæ ouis nomine vocabatur, quòd ouis imagine eſſet percuſſa: vti de antiquis Romanorum monetis ſuperius dictum eſt: quæ poſteriori tempore adulterata, pondereque imminuto *Gheràh* par fuerit, antiquiſsimis temporibus aurea magnique ponderis. Alioqui quid opis ſubleuandę Iobi inopiæ viri copioſi contuliſſent oue vna data in tanta præſertim pecoris copia? Erat etiam Darchemon Eſdræ. 2. capite ver. 69. drachmę pondere nummus: putoque eodem pondere fuiſſe Eſdræ cap. 8. ver. 27. Adarchon. nam & vocum ſimilitudo eſt, & vtroque loco noſter interpres ſolidum poſuit. Erat denique *Zus* eodem drachmæ

pon-

UVA. BHSC. BU 03005

pondere in libris tantùm Rabbinorum, vt Elias affert in Thiſbi, & hoc loco miſſum facimus cum multis alijs ponderum, monetarum & menſurarum nominibus Rabbinis vſitatis quamuis, cùm ſatis oneris ſuſtineamus explicandis ijs inter Hebraica, quæ in diuinis libris reperiũtur. Ergo vt hæc pondera inter ipſa comparemus prius quàm ad alia progrediamur.

Talentum Hebraicum magnum continet minas.50. ſiclos.3000. drachmas.12000.obolos Hebraicos ſiue Gheras.60000. grana hordei.960000.

Mina antiqua continet ſiclos.60. drachmas.240.obolos Hebraicos.1200.grana hordei.19200.

Siclus continet drachmas.4. obolos Hebraicos.20. grana hordei.320.

Drachma continet obolos Hebraicos.5. obolus Hebraicus ſiue Ghera grana hordei 16. tritici.14. & ſemiſſem fere.

G De

UVA. BHSC. BU 03005

## De Græcis ponderibus. Cap. 7.

GRAECA Pondera Hebraicis ſuccedent, propter antiquitatem eius gentis & nobilitatem in omni parte philoſophiæ. adiungentur autem quædam numiſmatum genera apud eam gentem vſitata. Inſerenturque vetera Græcorum medicorum pondera ſuis locis, ne ſeparata tractatione ſit opus, ſed ſub vnum conſpectum omnia Græcorum põdera proponantur. Libram & vnciam, quoniã à Romanis acceperunt Græci pondere non mutato, ea hoc loco omittere & inter Romana pondera ponere conſilium fuit.

*De Talento.*

MVLTA Talentorum genera Græcis & vicinis gentibus fuerunt, quę ex Polluce pleraq; eius auctoritate ponentur, ex alijs auctoribus alia, immutato tamen ordine à minoribus ad maiora Talẽta progrediendũ erit. Ac primũ Syrium Talentũ Pollux ait, drachmas Atticas continere .1500. nempe quantũ aurei noſtrates .1593.-$\frac{3}{4}$- Atticum Talentum pendit drachmas omnino .6000. nẽpe aureos noſtros

UVA. BHSC. BU 03005

noſtros. 6375. quod Talentum à quibuſdam Euboicum etiam vocabatur, ſeu Talentum Atticũ minus: & erat Euboea Atticæ proxima, eiuſq; ponderibus & menſuris vtebatur. nos abſoluta appellatione Talentũ hoc Atticum vocabimus. Talentũ Babylonicũ drachmarũ erat. 7000. nẽpe pondus æquans aureorum noſtrorũ. 7436 $\frac{1}{2}$. Præterea erat Euboicum Talentũ minarũ. 80. drachmarũ. 8000. quantum aurei noſtri. 8500. hoc Talentum magnum à Virg. 9. AEneidos vocari putant. cũ dixit: Et tripodas geminos auri duo magna Talenta. quod ſequuntur Priſcian. de ponder. & Seruius ad eum Virgil. locum: bene inquiẽs addit magna: nã Talentũ poteſt & breue aliquid & magnũ ſignificare. Vocatur etiã Talentum Atticum maius minoris comparatione eius quod pendebat drachmas. 6000. quomodo Liuius cũ ipſomet conciliatur. nã cũ lib. 37. dixiſſet, cũ Antiocho fœdus ea lege factũ, vt Talẽta Euboica. 15000. certis pẽſionibus pẽderet, quod & Appianus dixit in Syriaco: Liuius quaſi ſui oblitus lib. 38 quo loco refert fœderis leges à ſenatũ Romano comprobatas, ea Talẽta Attica dixit. Verùm cùm addiderit illa verba, Talentum ne minus



UVA. BHSC. BU 03005

pondo octoginta Romanis ponderibus pendat, de Euboico Talento, ſiue maiori Attico agere manifeſtum eſt. Sed vnde tamen noua difficultas naſcitur. nam ſi octoginta pondo Romanis ponderibus id Talentum pendebat, hoc eſt libras Romanas octoginta. cùm libra Romana pendat drachmas .96. Mina Attica ſemuncia minor, fiet vt Talentum Euboicum pendat drachmas tantum .7680. niſi forte eas minutias Liuius perſequi noluit, tametſi non ignoraret libram Romanam mina Attica minorem eſſe. Vtrouis modo conſtat Talentum AEgyptium pondo octoginta capere, vti Varronis verbis Plinius ait libr.33. cap.3. quem de mina Attica librave Romana locutum poſſumus interpretari. Denique Talentum AEgyneum erat maius cæteris, pendens nimirum drachmas .10000. aureos noſtrates .10627. quæ omnia intelligenda ſunt, vt Pollux ipſe ait, ſi quis ſupputationem ad drachmas Atticas faciat, continere videlicet hæc omnia Talenta eum numerum drachmarum quem diximus. alioqui ſi quodque ad ſuæ gẽtis minora põdera referatur: quodnis eorum minas ſexaginta, mina quælibet cẽtum drachmas continebat. Sed eę minę & drach-



UVA. BHSC. BU 03005

drachmæ comparabantur cum alijs aliarum gentium ea proportione qua ipſa inter ſe Talenta, ita vt ſicut Babylonicum Talentum Atticũ ſuperabat proportione ſexquiſexta, ita mina & drachma Babylonica Atticas minas & drachmas: quod magnopere conſiderandum eſt. Præterea idem Pollux affirmat Talentum ſex drachmarum non ſolum apud Athenienſes, ſed & apud Siculos in vſu fuiſſe, nimirum Hebræorum imitatione apud quos ſiclus, vt dictum eſt, Talenti etiam nomine vocabatur. Nos omiſsis alijs Talentorum generibus de Attico priori agemus pendente minas ſexaginta, drachmas. 6000. quoniam maiori fama celebratur. De quo Fannius dixit: Cecropium ſupereſt poſt hæc dixiſſe Talentum. Sexaginta minas ſeu vis ſex millia drachmas: Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis. Titus Liuius libro trigeſimo quarto in Achaia redemptos fuiſſe ait mille ducentos Romanos centum Talentis, cùm quingenos denarios in capita dediſſent. ſic ſubducta ratione Talenta ſingula ſex millia denarios continebant.

*De Mina Attica*



UVA. BHSC. BU 03005

MINA Capit drachmas centum libram Romanam ſemuncia ſuperans .Romana enim libra vncias continet duodecim, drachmas nonaginta ſex. Erat autem Athenis duplex mina, altera minor drachmarum ſeptuaginta quinque, de qua Fannius: Mnam vocitant, noſtrique minam dixere priores. Centum hæ ſunt drachmæ. Quod ſi decerpſeris illis Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram. Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, Mna. Errāt qui his verſibus de libra Attica agi putant. Altera Athenis mina maior.100. drachmas capiebat. quod ex ijs omnibus colligitur quicunq; Talētū Atticū minas ſexaginta, drachmas Atticas ſex millia pēdere dixerunt, dantes videlicet ſingulis minis drachmas centū. Sic qua proportione duo Talēta Attica maius & minus inter ſe comparā tur, nēpe ſeſquitertia: eādē hæ duæ minæ inter ſe habent. Erant pręterea aliæ minæ, quod ex Galen. & Dioſcor. de menſur. & ponder. colligitur, nempe medica: quam Gal. Atticam & AEgyptiam dicit vnciarum.16. drachmarum. 128. mina Italica vnciarum octodecim, drachmarum.144. præterea mina vnciarum viginti, quā Galen. Romanam Dioſcor.

Alexan-

UVA. BHSC. BU 03005

Alexandrinam dicit drachmatum .160. De qua Ioſephus lib. 7. cap. 8. intelligatur, cùm comam Abſalonis ducentos ſiclos pendereait, hoc eſt minas quinque. Verum hæ maiores minæ medicis tantumodo in vſu erant: duę ſuperiores in vſu Athenienſiũ communi. Pendebat Attica mina maior quantum aurei noſtri centum & ſex addito inſuper quadrante.

*De drachma.*

DRACHMA (Quæ & ὁλκὴ Græcis dicitur id eſt pondus) octaua pars vnciæ eſt. Et quidem Attica cum Romana conueniebat ſex obolos continens. Aeginea drachma, vt Pollux ait, obolos decem continebat, craſſa drachma ex eo pondere dicta. Nimirum qua proportione Aegineum Talentum cum Attico comparabatur, eadem proportio erat inter duas illas drachmas vtriuſq; gentis. Porrò Græcorum nummi ad drachmæ pondus cudebantur. Primum enim ſtater erat quatuor drachmarum, quot ſiclus continet apud Hebræos. Sic ſæpe in noſtra editione vulgata pro eo ſubſtituitur, vt 1. Reg. 9. ver. 8. Ecce, inquit, inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris. in Hebraico quarta pars ſicli.

& Matth.

UVA. BHSC. BU 03005

& Mat.17. cùm publicani accuſaſſent, quòd Christus nó ſolueret didrachma ver.27. iubet Petro ſtateré in ore piſcis inuétũ pro ſe & illo ſolui. nimirũ duo didrachma, hoc eſt, quatuor drachmas pendebat. Quo pondere Darici (de quibus Xenophon lib.1. de expeditione Cyri) percutiebantur, quamuis ex auro. nam Athenis ſtateres aurei didrachmi erant, vt Pollux ait libr.4. his verbis: Aureus autem ſtater duas drachmas Atticas habuit. Sed cũ idem Pollux affirmet, aureum ſtaterem minam valere, & in ijs quæ appenduntur ex eo, pondus minæ ſtaterem dici: colligit Budæus lib.5. de aſſe fuiſſe ſtateres aureos.8. drachmarum, nempe vt vncia auri duodecim argenti vncijs & ſemis, quod erat pondus minæ valore ęquaretur, auri ad argẽtum proportione duodecupla. Suidas Daricum affert valere quantum Atticus aureus, atque argenti drachmas viginti valore exæquare. Sic quinque Daricos minam argenti valere. Quibus ex verbis ſuſpicabar, Pollucis locum eſſe caſtigandum, in eo quod aureum ſtaterem minã valere habet. Thucydides libro octauo Iaſo à Laconibus capta ait, captiuos omnes Tiſſapherni datos pretio in ſingula capita ſtateris Darici.

UVA. BHSC. BU 03005

Darici. Erãt & nummi Ciſtophori qui .7500. Euboicũ Talentum implerent auctore Feſto. atque adeo ſi vera ſunt quæ diximus, amplius quam drachmæ pondus ſinguli continebant, ac fere quantum denarius Romanus. Tametſi quod in Feſto ſequitur, eam ſummam denarios .4000. efficere difficultatem patitur. nam ſi id verum eſt, parum amplius quam ſemidrachmæ pondus ſinguli Ciſtophori pendebant. Sed locus ille planè vitiatus eſt, vt reſtitui non poſsit. Drachma Attica argenti paulò amplius noſtro argenteo nummo, auri autem aureum noſtrum pendebat, & partem aurei ſextam decimam preciſè.

*De Obolo.*

OBOLVS Græcis ſexta pars drachmæ eſt. tametſi vti Cleopatra ait, apud AEgyptios oboli pondere drachma erat, ſexta nimirum pars Atticæ drachmæ. Drachma Hebraica in quinque obolos ſeu Gheras diuidebatur. ſic Ghera continebat obolum Atticum & quintam eius partem. Denarius etiam diuidebatur in ſex partes. ſed cùm vncia pondus ſeptem denariorum eſſet, denarius continebat drachmam & ſeptimam eius partem, atque adeo maior obolo Attico ſexta denarij



UVA. BHSC. BU 03005

erat, vti Celſus ait lib. 5. de ſimplicium mixtura loquens. nimirum obolum continebat & ſeptimam oboli partem. Atque hæc ſunt Attica pondera communia.

## De alijs medicorum ponderibus Græcis.

MEDICI Pharmacis conficiendis, temperandiſque potionibus, proprijs vtuntur ponderibus: vnciamque & drachmam in minora pondera diuidunt, quæ in vnum locum colligenda putabam. Ac primum grãma occurrit tertia pars drachmæ latinis ſcripulum. Vocatur autem gramma quòd vncia ſcripula viginti quatuor habeat, quot ſunt Græcæ literæ vti Fannius ait. Sequitur obolus ſcripuli ſemis, ſexta drachmæ pars. quo pondere vtuntur etiã medici Græci. Ceratió aut ſiliqua oboli pars tertia eſt, drachmę pars octauadecima. Chalcus ſeu æreolus quarta oboli drachmæ pars vigeſima quarta. Ita quota ſcripulum pars eſt vnciæ, Chalcus drachmæ eſt. Sitarium ſeu granum dimidium Chalci. Sic drachma continet grana. 48. Demũ leptum eſt, hoc eſt minutum, Chalci pars ſeptima. Ergo ſitarium minuta tria & ſemiſſem contiHnet.

net. Supereſt explicare quoties maiora pondera minora contineant.

Mina Attica maior drachmas.100. ſcripula ſeu grammata.300. obolos.600. Ceratia ſeu ſiliquas. 1800. Chalcos ſeu æreolos .3600. ſitaria.7200. lepta ſeu minuta.25200.

Drachma continet grammata.3. obolos.6. ceratia.16. chalcos.36. ſitaria.72. lepta.252.

Gramma obolos.2. ceratia .6. chalcos.12. ſitaria.24. lepta.84.

Obolꝰ ceratia.3.chalcos.6.ſitaria.12.lepta.42.

Ceratium chalcos .2. ſitaria.4. lepta.14.

Chalcus ſitaria.2. lepta.7.

Sitarium lepta.3. $\frac{1}{2}$ & leptum minimum Græcorum pondus.

## *Pondera Romana. Cap.8.*

TALENTI Vocem & vſum Romani penitus ignorarunt primis temporibus: neque prius acceperunt quam eorum arma in Græciam atque Aſiam penetrarunt. Illis gentibus ſubditis tum multa ipſi dederunt iure & legibus commutatis,



UVA. BHSC. BU 03005

tum quædam ab illis mutuò acceperunt: præſertim ex eo tempore multæ voces Græcę in latinam linguam commigrarunt: & cùm Gręcis ipſi libram & vnciam dediſſent, quas antea ignorabant, Talento & drachma quæ propria Gręcorum erant, vſi ab eo tempore ſunt. Maximum enim pondus veterum Romanorum libra erat, eaque multiplicata quæcumque pondera maiora explicabant. Sed erat centum pondium apud Catonem de re ruſtica cap. 15. qui & centenarius vocabatur reſpódens in numero librarum noſtro Quintali, Græcoque Talento. & veriſimile eſt Romanos habuiſſe maſſas. 100. 50. aut. 25. librarum ſingulas.

*De libra Romana.*

LIBRA Romana vncias duodecim continebat. qua ſignificanda quatuor nominibus vti poſſumus. libra enim, as, & ſolidus vocatur, auctore Metiano, tum etiam pondo. Partes quidem libræ quæ eſſent, & quæ earũ nomina capite. 2. explicatum eſt, nimirum eædem quæ aſsis. Illud hoc loco addimus, ex his quatuor librę nominibus, pondo quidẽ tãtũ ſignificari pondus, non autẽ nũmi genus, quamuis ex ea voce dupondium deductum

duos

UVA. BHSC. BU 03005

duos aſſes ſignificare diximus. As & ſolidus fere non in ſignificatione ponderis, ſed nummi accipiũtur, hoc diſcrimine: quod as ęreus erat, valebatque decimam denarij partẽ, ſolidus argenteus erat, vel etiã aureus. Si argenteus denario maior, valebat enim aſſes duodecim; ſi aureus eodẽ põdere, valore itidẽ denariorũ duodecim, quæ fere erat analogia auri ad argẽtũ. Solidus recenti memoria æreus fere factus eſt veteri moneta ſenſim adulterata. Semper tamen retinuit vt duodecim denariolos cõtineret. Libræ vox frequẽtius pro pondere, aliquando etiam in ſignificatione nummi vſurpatur. C. de appellat. l. omnes, &. C. de modo mulctarum. l. illuſtres: vbi libra auri mulctari crimina quædam iubentur. quæ minus erat quàm auri vncia, vt ex eiſdẽ locis perſpicitur. & Budæus libr. 3. de aſſe cõijcit libram auri his locis & ſimilibus eſſe aureum Romanum, quo duarum drachmarum frequenter vtebantur duos aureos noſtros pendentem, & aliquid amplius. Sed quemadmodũ primis temporibus aſſes maiores erãt ſinguli libræ pondere, quo tamẽ pondere imminuto valor tamen antiquus & nomen mãſit: ita in ſolido & libra contigiſſe arbitror

 pri-

UVA. BHSC. BU 03005

primis temporibus maiores multo fuiſſe, atq; adeo vnciarũ argẽti aut auri duodecim. quod nomina indicant tum libræ quæ conſtat vncijs duodecim, tum ſolidi quod integrum pō dus ſignificat, propter numerum duodenariũ qui perfectiſsimus eſt, nempe geminatus ſenarius conſtás ex omnibus ſuis partibus aliquotis. Sed video tamen ſolidos ( ſic noſtra coniectura eſt ) eoſdem progreſſu temporis imminutos eo amplius quod minor copia argenti & auri erat, & imminuto tamen pondere retentis nominibus priſtinum valorem manſiſſe, vt ſolidus argenteus duodecim aſſes valeret, aureꝰ duodecim denarios. Quod vulgo hodie retinetur vt ſolidus, æreꝰ quãuis ferme factus contineat denarios duodecim vbicunque ſolidorum eſt vſus. In quo à mara uedino differt, qui decem tantùm denarios valebat, vti ſuo loco explicabitur. Sic ſexta parte ſolidus æreus marauedinum æreum, argẽteus ſolidus marauedinum argenteum, aureus aureum ſuperare debuit. Cæterum ſolidos aureos Romæ inuenio duarum drachmarum in frequenti vſu fuiſſe tempore Alexandri Seueri: ſicque ſolidi aurei de quibus in legibus eius temporis fit mentio intelligantur

gantur. Iuſtiniani tēpore ſolidi aurei ſex vnciam efficiebant: vnde & ſextulares vocati ſunt. Et ex libra auri ſignabantur ſeptuaginta duo. vt conſtat ex lege quotieſcunque. C. de ſuſcep. Præpoſit. & Arcarijs libr. 10. tit. 70. Erat & drachmæ pondere ſolidus aureus. Præſertim in diuinis libris pro drachma Hebraica ſolidus ponitur latine: Eſdræ libro primo capite octauo, & libro ſecundo capite ſeptimo, &. 1. Paral. 29.

*De vncia Romana.*

EST Ergo vncia pars libræ. 12. cuius etiam partes ſunt ſemuncia, duella (tertia vnciæ pars) ſicilicus quarta, item ſextula, quas hoc loco repetere non eſt neceſſe. Sed de vncia tamen Romana an cum noſtra vncia conueniat pondere, paſsim dubitatur: ego in ſuperiori ſententia vnciam veterem Romanā minorem noſtra non eſſe amplius confirmabar viſis duobus argenteis nummis vncialibus, altero Claudij Neronis, altero Hadriani ſiue antiquos, ſiue ad antiquorum exēplar conflatos: quos ſingulos vnciam noſtram conti nere & aliquid amplius conſideraui nimirū Claudij denari⁹ ſiue ſeptuplex, ſiue octuplex vnciam noſtram duobus ſcripulis, Hadriani



UVA. BHSC. BU 03005

vno tantum ſcripulo ſuperabat. Præterea au-
reum vnum Fauſtinæ Auguſtæ nactus ſum
ſatis elegantem. ex altera parte formam eius
& nomen, ex altera fœminam in throno ſe-
dentem manumque porrigentem habet cum
hac inſcriptione, Saluti Auguſtæ, qui au-
reus ſicilicum, hoc eſt duas drachmas noſtras
iuſtiſsimè pendit. Tantundem aureus alter
Veſpaſiani appendebat, quem poſtea elegan-
tiſsimum ſum nactus, ex vna parte Veſpa-
ſiani facies & nomen, ex altera Martis ſtan-
tis effigies his adiectis verbis, Vltor Mars.
Tertius item & quartus Neronis Cęſaris Au
guſti expreſſa facie, & ex altera parte ſalutis
effigie, duas drachmas pendebant minus duo
bus granis, non amplius, hoc eſt parte ſep-
tuageſima quinta, vſu nimirum & tempore
detriti aliquantum. & cóſtat eos aureos Ro-
manos didrachmos fuiſſe, vti Budæus affert
libr.3. de aſſe, idemque ex Plinio colligi vide
tur lib.33. cap.3. quantumuis locus planè ſit
deprauatus, vix vt intelligi, reſtituivè poſsit.
Sed & pro moneta vnciam auri extare in legi
bus Romanis conſtat, & recenti memoria in
Sicilia & Neapoli vſurpatur valore circiter
duorum aureorum noſtrorum & ſemiſsis. ta
metſi

UVA. BHSC. BU 03005

metſi iam non nummus aliquis eſt, ſed nummorum ſumma. Nam libra Ioan. 12. Accepit libram vnguenti, & .19. Ferens mixturam mirrhæ & aloes quaſi libras centum, pondus eſt non monetę genus haud dubium.

*De Denario & eius partibus.*

MEDICI Romani præſertim poſterioris temporis Græcis medicorum ponderibus vtebantur. Vnde medendi rationé hauſerant nominibus tantùm commutatis, nempe vncia, drachma, ſcripulo, obolo, ſiliqua, æreolo, grano, minuto, de quibus iam dictum eſt. Propria & antiqua pondera Romanorum medicorum hæc erát: Vnciam primum diuidebant in ſeptẽ denarios. nam denarius moneta erat & medicis etiam ponderis nomen. ſic denarius drachmam Atticam pendebat & ſeptimam drachmæ inſuper partem. Quæ cùm ſint vera & explorata, non ignoro tamé Priſcianú tribus denarijs drachmas quatuor dediſſe, Cleopatram cùm denarium Italicum feciſſet drachmæ vnius, in veterinarijs denario dare ſcripulos .4. hoc eſt tribus denarijs drachmas quatuor. Sed his tamen omiſſis, Denarius in ſex partes diuidebatur, quos licet obolos Romanos vocare, ſingulos oboli Atti-



UVA. BHSC. BU 03005

ci pōdere & ſeptima oboli parte. Celſus enim lib.5.cap.17. Sed & antea, inquit, ſciri volo in vncia pondus denariorū eſſe ſeptem: vnius deinde denarij pōdus diuidi à me in ſex partes, id eſt ſex vncias: vt idē vncia Denarij habeam quod Græci habent in eo quem obolū appellant. id ad noſtra pondera relatū paulo poſt dimidio ſcripulo facit. Plin. ſæpe denariū pro drachma ponit: ac lib.21. cap.vlt. drachmam Atticā denarij pondere eſſe ait. Idéq; Cleopatra affirmat, denariū Italicū drachmæ pondus habere. Verum vbi propriè de denario agit lib.33. cap.9. iuſtum eſſe ait ex libra ſignari denarios.84. nēpe ex vncia ſeptē. hinc lib.12.cap.14. ex varijs lectionibus vera colligitur, nimirū denarios.29. eſſe tertiam partē minæ. Præterea lib.29.cap.3. & locis alijs denariū in ſexageſimas diuidit, quæ grana dici poſſunt. nam & medici vulgò ſuam drachmā granis ſexaginta finiūt, atq; adeo denarius in ſex obolos ſeu vncias cū Celſo, obolus in decē grana diuidatur. Diuiditur etiā denarius à Metia. in duos victoriatos. Pēdebat denarius quātū argenteus noſter & ſexta eius pars, quadrantes quadraginta valore exæquās, ſeu marauedinos. Verum quoties maiora pondera mino-

UVA. BHSC. BU 03005

minora contineant explicandum.

Libra continet vncias .12. denarios. 84. victoriatos .168. obolos Romanos .504. grana.5040.

Vncia continet denarios.7.victoriatos.14. obolos.42.grana.420.

Denariꝰ victoriatos.2. obolos.6.grana.60.

Victoriatus obolos.3.grana.30.

Obolus grana .10.

Granum ſeu ſexageſima denarij pondus Romanis medicis omnium minimum.

## *Vulgara pondera quibus Toletani vtuntur. Cap.9.*

IN Ordine noſtrorum ponderum primum à magnitudine locum obtinet Quintal Talento Græco aut Roma-centenario reſpondens non eodē prorſus pōdere cōtinet enim arrobas quatuor, libras centū, ſingulas vnciarū ſedecim, maiores Romanis triente. Vnde tamē nomē huius pōderis defluxerit, quo nō Hiſpania tātū vtitur, ſed Gallia & pleraq; aliæ prouinciæ, à multis dubitatur. Sunt,



UVA, BHSC. BU 03005

quia voce Hebraica, *KiKar*, id eſt Talento de ducant, præſertim cùm Græcè κίγχαρ ſcribatur, vt ex Ioſepho conſtat lib. 3. antiquit. cap. 7. Nos ſi vocem, *Qanter*, qua Rabini vtuntur, vti Elias affert in Thiſbi, in eadem ſignificatione Talenti, Hebraicam prorſus putaremus, ab ea tum vocem Italicam, Cantaro, tum noſtram Quintal fluxiſſe non dubitarē affirmare: cùm Hebraica lingua omnium ſit antiquiſsima, ab eaq́; in alias linguas multæ voces deriuarint. Verum cùm ea vox in ſacris libris non extet, vbi Hebraica lingua ſincera conſeruatur, & Iudæi ſæpe à gentibus, inter quas habitát, multas voces in ſuam linguam transferre conſueuerint: credam potiꝰ omnes eas voces à Cétenario fluxiſſe: qua voce latini poſteriori tempore, præſertim eo pondere aliqua ex parte mutato cœperūt Talentum ſignificare, vti ſuperius eſt demonſtratum. Et Iſidorus lib. 16. cap. 24. de Talento agens, Centenari, inquit, numeri nomē eſt, eoquòd centum librarum ponderis ſit: quod pondus propter perfectionem centenarij numeri inſtituerunt Romani.

Sequitur Arroba quę continet libras viginti quinq́;, quintalis quadrás. Libra noſtra ſedecim

UVA. BHSC. BU 03005

cini vnciarũ eſt, Marcus ponderis vnciarũ octo eſt, ſemis noſtræ libræ, bes Romanæ. Vncia pars ſextadecima libræ noſtrę, Marci octaua: continetque adarames ſedecim, ſingulas ſemidrachmæ pondere. Vulgò enim drachma non vtimur, ſed pro ea tamen duas adarames, octauã dicimus: ſicut quatuor adarames vocamus quartam, certè vnciæ. Neque plura vulgò pondera ſunt inter mercatores & dardanarios. Aurifices tamen & medici alia ponderum nomina habent: neque eadem prorſus ratione in ponderum ratione progrediuntur ſed diuerſa, quam iam explicamus.

*Aurificum pondera.*

AVRIFICES Marcũ, hoc eſt, vncias octo auri quidem diuidunt in Caſtellanos quinquaginta: quod genus ponderis & nummi eſt drachma maioris atque denario Romano. Caſtellanus in octo Tomines diuiditur. Tomin in duodecim grana. Argenti autẽ Marcum diuidunt in vncias octo. Vnciã in totidẽ octauas ſiue drachmas. Octauã in grana. 75. Sic Marcus argenti aurique eundem granorum numerum continent.

*Vulgaria medicorum pondera.*

MEDICI Vulgò in Hiſpania ac præſertim Toleti tum alijs ponderum nominibus vtuntur, tũ eorũ pódera minora ſunt cõmunibus, & aurificũ parte communium. 16. ſic vncia communis continet adarames ſeu ſemidrachmas ſedecim. vncia medica adarames continet quindecim præciſè: eademque ratione in libra eſt procedendum. Drachma medica multo minor octaua communi eſt, propterea quòd cùm vncia communis, quæ maior medica eſt, diuidatur in octo drachmas ſeu octauas, vncia medica in nouem drachmas diuiditur. Granũ tamẽ medicũ maius eſt aurificũ grano, propterea quod drachma medica in grana ſexaginta diuiditur, octaua aurificum in. 75. Ergo libra medica duodecim minores vncias habet: nempe ex communibus vncias vndecim & quartam. vncia continet drachmas nouẽ, drachma ſcripulos tres, ſcrìpulus grana medica viginti, ſingula maioris ponderis quam grana aurificum, quæ vulgo grana Marci vocantur. Sed vt inſtituimus quoties maiora pondera minora contineant explicandum eſt.

Quintal cõtinet Arrobas. 4. libras. 100. Marcos. 200. vncias. 1600. Caſtellanos. 10000. octauas

UVA. BHSC. BU 03005

uas.12800. tomines.80000. grana. 960000.

Arroba continet libras.25. marcos.50. vncias.400. caſtellanos. 2500. tomines.20000. grana.240000.

Libra Marcos.2.vncias.16. caſtellanos.100. octauas.128. tomines.800. grana.9600.

Marcus vncias.8. caſtellanos .50. octauas 64. tomines. 400. grana.4800.

Vncia caſtellanos .6.$\frac{1}{3}$ octauas.8. Tomines.50.grana.600.

Caſtellanus tomines.8. grana.96.

Octaua grana continet.75.

Medica pondera ſic maiora cum minoribus comparantur inter ipſa. Libra medica ſcontinet vncias medicas.12. drachmas .108. cripulos.323.grana.6480.

Vncia drachmas.9.ſcripulos.27.grana.540

Drachma ſcripulos.3. grana.60.

Scripulus grana.20. Eſt autem granum ſexageſima drachmæ medicæ pars, minimum inter pondera medica.

Pondera medica cũ cum communibus cõparabuntur, cùm alia pondera & menſuras opere ſeparato inter ſe & cum alijs comparabimus, ijs tabulis quas facere adornamus.

De men-

## De menſuris Aridorum Hebraicis.

### Cap. 10.

DE Ponderibus ea hactenus dicta ſunt, quæ è re quidẽ fore videbantur nobis. Nũc ad menſuras oratio transferendã eſt, atque quo inſtituimus ordine & via, varia eorum genera explicanda ſunt, tum Aridorum, tum liquidorum, Hebraica primum deinde alia. In quo niſi animus fallit, nõ pauca lector inueniet ſcitu digna, parumque ab alijs conſiderata.

*Corus ſeu Chòmer.*

INTER Hebraicas aridorum ſed & liquidorum menſuras omnium maxima Corus eſt. Cõtinet enim decem Ephi nihilominus. totidem Bathos, vti Ezech. cap. 45. legimus ver. 11. Ephi & Bathus ęqualis & vnius menſuræ erunt: vt capiat decimam partem Cori Bathus, & decimam partem Cori Ephi. Sunt ergo Ephi & Bathus menſuræ pares, hoc tantùm diſcrepantes, quod Ephi menſura Aridorum eſt, Bathus liquidorum, vtraq; Cori decima

UVA. BHSC. BU 03005

decima, atque cùm hæc minimè dubia ſint, tum non eſt promptum certa ratione deſignate quãtum Corus caperet. Auctores diſcrepant in re hac maximè, neq; facile pronũcies quæ ſit præferẽda ſententia. Ioſeph. lib.15. antiq. cap.12. Corus ait capit medimnos Atticos decẽ. Quòd ſi medimnus, vti ſuo loco demõſtrabitur, continet modios Italicos ſex, capiet Corus modios.60. Modius autem quãtũ duo noſtrates celemines capit circiter, quod ſuo etiã loco explicandum erit. Corus ergo iuxta Ioſephi quidẽ ſententiã celemines continebit.120. nimirũ Fanecas decẽ. Ephiq; cõtinebit medimnũ vnũ, celemines nẽpe.12. Quod cũ mihi aliquando placuerit, re melius conſiderata, certa ratione conſtituo Corum continere quinque modò medimnos Atticos, hoc eſt, modios triginta. Sic Hiero. conſtanter ſentit Ezech.45. ad illud, ſtatera iuſta. Sic Leuit.27. ver.11. Iſai.5. ver.10. pro Coro in noſtra editione poſuit triginta modios: & cõmentarijs ad eũ locũ Iſaiæ idẽ ſequitur: à quo recedẽdum temere nõ putabã. Fauet Epiph. cũ Corum ait continere modios.30. additq; eſſe Cameli onus. conſtat autem Camelis duplo maius onus quã aſino imponi. præſertim

K cum

cùm letech, quod dimidiũ eſt Cori & modios 15. capere ait, affirmet eſſe, quantum iuuenis leuare & aſino poteſt imponere. quis autem modios. 30. quacumq; laterũ firmitate leuare poſsit celemines nempe. 60. circiter? nã quod Diodor. lib. 3. cap. 12. quoſdã in Arabia camelos eſſe ait ſupra decem medimnos portãtes: id quaſi peculiare refert, dignumque miraculo. Epiphan. de communi cameli onere locutũ interpretabamur. Ad hęc ſi Corus modios cõtineret. 60. cõtineret Ephi. 6. Bathuſq; Ephi æqualis caperet ſextarios Romanos. 96. cûm modius capiat ſextarios. 16. eſſetq; Bath⁹ duabus amphoris Romanis æqualis: quod qui cõcedat hactenus nullũ inueni: ne ipſe quidem Ioſeph. Hæc mea ſentẽtia eſt. fortaſsis etiã cũ ſiclus & cætera pondera eſſent & publica & ſanctuarij, atq; hæc illis duplo maiora eſſent: ſic de menſuris iudicandũ erit, Ioſephũq; de Coro ſanctuarij locutũ eſſe, de publico Hier. interpretari licet, & iuuat. Nã quod idẽ Ioſe. lib. 3. extremo Coros. 70. farinæ efficere ait, medimnos Siculos. 31. Atticos. 41. quid ſibi in eo velit nõ aſſequor, & locũ vitiatum putabam, hallucinandi certe occaſio Budæo lib. 5. de aſſe & alijs. *Ephi.*

Expli-

UVA. BHSC. BU 03005

EXPLICATA Cori magnitudine de pleriſq; alijs mẽſuris ſtatuere facile eſt. ac præſertim Ephi, qui eſt decima cori pars, capiet modios tres, hoc eſt, ſex ex noſtris quos celemines vocamus, ſextarios Romanos .48. præciſè. Sic Iſaiæ. 5. ver. 10. vbi Hebraicè legimus: Corus ſementis faciet Ephi, interpres latinus dixit, triginta modij faciẽt modios tres. His tamẽ quæ veriſsimè dicũtur, primũ Epiphanij auctoritas opponitur, deinde Heſych. Epiph. enim chænix inquit & Hyphe eadẽ menſura ſunt, nimirũ Hyphe pro Ephi dixit. Heſych. autẽ Ephin ait menſura Egyptia quatuor chænicũ. capit autẽ chænix aut duos ſextarios vt pleriq; exiſtimãt, aut quatuor, vt Fan. affirmatũ reliquit. de qua re poſt modũ dicẽdum erit. Verum Heſychius de Ephi AEgyptio locutus eſt, nos de Hebraico: mutantur autem menſuræ & pondera pro locorum varietate. Epiphan. autem de alia menſura locutus eſt, quam Hiphen dixit, aut de Ephi Samaritanorum, vnde ipſe genus ducebat: ne quem horum auctorum verba moueant. Ne noſtri quidẽ interpretis cùm Leuit. 19. ver. 36. pro Ephi modium reddidit illis verbis: modius iuſtus & ſextarius iuſtus erit vobis.



UVA. BHSC. BU 03005

*Satum.*

TERTIA Pars Ephi Cori trigeſima ſatum eſt, capiens nimirum modium Italicũ vnum quod tametſi ex ſacris litteris probari non poſsit, ex Chaldaico Paraphraſte colligitur, qui multis locis pro Ephi menſura tria ſata ſubſtituit. *Thelath ceain.* Certe Leuit. 5. ver. 11. & 6. ver. 20. Nume. 5. ver. 15. Rhuth. 2 ver. 17. Iſai. 5. ver. 10. Septuaginta etiam pro Ephi Sæpe τρία μέτρα. Id eſt, tres menſuras ad idem reſpicientes, nimirum exod 16. ver. 36. Iſaiæ 5. ver. 10. Eſt etiam communis ſententia Hebræorum, ſex Cabos vnum ſatum efficere. continet autem Cabus ſextarios Hebraicos quatuor, qui ſextarij cum Romanis cõparantur, vt poſtea monſtrabimus, proportione ſexquialtera. ſic. 24. ſextarij Hebraici, nimirum ſex cabi continebunt quantum ſextarij Romani 16. qui efficiunt præciſe modium Italicum. Video tamẽ Hieronymum ad illa verba Matth. c. 13. ver. 33. quod acceptũ mulier abſcondit in farinę ſatis tribus, affirmare ſatum modium cum dimidio continere: in quo Ioſephum certè ſecutus eſt lib. 9. antiq. cap. 2. cum in Cori magnitudine ab eo diſſentiat. Iſidor. lib. 16. c. 26. tametſi aliud etiam ſatum ponit

ponit quaſi modij menſura, ſecutus tamen Io
ſeph. & Hiero. ſatū dixit genus eſt menſuræ
iuxta morē prouinciæ Paleſtinæ vnū & dimi
dium modiū capiens. Hæc ſi placet ſententia,
dicendum erit, ſatum ſemiſſem Ephi eſſe, mu
lieremque illam tria ſata farinæ, hoc eſt, mo-
dios quatuor cū dimidio ex noſtris. 9. ſubegiſ
ſe: cùm iuxta priorem ſententiā tres modios
tātū ſexq; ex noſtris, hoc eſt, Ephi mēſurā ſu
begerit. Illud obſeruare conuenit noſtrum in
terpretēnum. 5. ver. 15. pro decima parte Ephi
poſuiſſe decimam partem ſati. tum. 3. reg. 18.
ver. 32. pro ſato Hebraico reddidiſſe metretā.
cùm tamen metreta maior ſit ſato, ſatū Ephi
minus ſemis eius aut triens, vti ex ijs quę di-
cta ſunt manifeſtum euadit.

*Gomor Ghòmer.*

GOMOR Proculdubio decima pars eſt
Ephi. ſic enim dicitur Exodi. 16. ver. 36. Go-
mor autem decima pars eſt Ephi. cùm ergo
Ephi contineat tres modios Italicos, ex no-
ſtris ſex, fit vt noſtri modij dimidium & deci
mā eiuſdē modij cótineat, hoc eſt, ſextarios
noſtros. 6. præciſe, cū modius noſter ſiue Cele-
min contineat. 10. ſextarios Toletanos. Effi-
ciunt autem ſex noſtri ſextarij quatuor Ro-

 manos,

UVA. BHSC. BU 03005

m anos, & quatuor quintas eiuſdem ſextarij, cùm ſextarius Romanus noſtrũ ſuperet proportione ſeſquiquarta. Iſidorus libr. 16. cap. 25. ſextarius quinquies complicatus Quinarẽ ſeu Gomor facit. Robertus Senalis Ioſephum ait Aſſaroni, hoc eſt, Gomor, vt mox dicemus tribuere Cotylas. 7. ipſe interpretatur ſextarios: qui ſi Hebraici ſint, faciunt fere quinq; Romanos. Sic Gomor erat cibus diurnus hominis a Deo ipſo deſignatus Exodi 16. ver. 16. vbi manna Gomor colligi per ſingula capita præcipitur. Ioſephus vbique pro Gomor ponit Aſſaronem, præſertim lib. 3. antiquit, cap. 10. vbi Leuit. 5. & 6. num. 5. præcipitur offerri farinæ decimã partẽ Ephi, nẽpe Gomor, ipſe vertit Aſſaronem, nimirum à voce Hebraica. *Ghiçaròn*. id eſt decima. qua voce in menſuræ etiam ſignificatione ſacræ litteræ vtũtur exod. 16. & 29. Vnde fortaſsis Aſſariũ Latinis & as manauit, nimirũ decima denarij, vtiſuperius dictum eſt.

*Cabus Qab.*

MINIMA Inter Hebraicas menſura aridorum, ſi tamen aridorum & nõ etiam liquidorũ, cabus eſt: de qua mẽtio extat. 4. reg. 6. ver 25. cõtinet ſextarios, quatuor, Ioſephi quidẽ ſen-

ſentẽtia: qui libr. 9. antiq. c. 2. pro quarta parte Cabi ſtercoris, reddidit ſextariũ, Romanũ an Hebraicũ, qui log dicitur, non explicat: haud leui diſcrimine cũ ſextarius Roman⁹ ſeſquialtera proportione cõparetur cũ Hebraico, eũ & ſemiſsẽ capiẽs. quod ſuperius dictũ copioſius deinde explicabitur. Quod ſi Cabum ſextarios. 4. Hebraicos, quod magis puto, cõtinere recipitur, fiet vt cabus capiat duos ſextarios Romanos & dodrãtẽ ſextarij, nẽpe tres quartas, hoc eſt, tres noſtros ſextarios cum triente circiter. Conuenit Hebræis Cabo cõtineri cibi quantũ in diem vni homini ſit ſatis: adduntque Cabum frumenti ſeri in cubitis decem quoquo verſus: quod puto conuenire in tres noſtros ſextarios cũ triente, nimirum efficientes modij noſtri Toletani ſeu Celemini triẽtẽ iuſtiſsimè. Nec plura de Hebraicis menſuris aridorum. ad Græcas tranſeamus, ſi prius fuerit explicatũ, quoties minores hæ menſuræ in maioribus contineantur.

Corus continet ephi .10. ſata .30. gomor 100. cabos. 180.

Ephi continet ſata. 3. gomor .10. cabos .18.

Satum Gomor. 3. $\frac{1}{3}$ Cabos. 6.

Gomor continet cabos. 1. $\frac{4}{5}$

Cabus

Cabus minima aridorum menſura conti-
nens quatuor loghim ſeu ſextarios, de qua
menſura in liquidis dicendum eſt.

## *Græcæ menſuræ Aridorum.* Cap. 11

INTER Græcas aridorum mēſuras primum ſibi locum Cypſele vendicat, ſex nihilominus continens Medimnos, maior Coro Hebraico, nimirum parte eius quinta. de qua Ariſtophanes in Pace, ac meam, inquit, iniecto lapide ſex medimnos capientem Cypſelem fregerunt. Suidas de eadem Græcè ait, κυψέλη ἑξμέδιμνος ἓξ μεδίμνους χωροῦσα. Cypſele ſex medimnorum ſex medimnos capiens.

### *Medimnus Atticus.*

MEDIMNVS Atticus ſenos modios Italicos capit. ſic enim Suidas ait: medimnus menſura eſt aridorum, vt tritici vel Hordei, medimnus igitur mēſura eſt ſex modiorū. Cornelius nepos in Attici vita affirmat Atticū Athenienſes vniuerſos frumento donaſſe, ita vt ſingulis ſex modij tritici (ſic legito, non ſeptem) darentur. qui modius mē-
ſuræ

ſuræ medimnus Athenis appellatur. Cic. libro.5. in Verrem Agri Leontini decumæ anno tertio venerunt tritici medimna triginta ſex, hoc eſt, tritici modij .216. Neque temere medimnum Atticum dixi, Siculus enim medimnus Attico maior erat quarta Attici parte. nam Ioſeph. lib.3. antiquit. extremo Siculos medimnos .31. & Atticos. 41. pro eodem accipit. Dixi etiam modium Italicum, quoniam modius Siculus & Cyprius maior erat, vti ex Epiphanio conſtat: & quinque modij Siculi medimnum Atticum explebant. Sed quòd Epiphanius medimnum abſolutè ait decem modios continere, in eo aut vitiata lectio eſt, aut de alijs menſuris ipſe locutus. Ergo medimnus ſex modios Italicos continet, duodecim Toletanos. idem comparatus cum menſuris liquidorum capiet duas amphoras Romanas, Chænices quadraginta octo, ſextarios Romanos non aginta ſex.

*Hemiectum.*

IN Multas partes medimnus à Polluce diuiditur, quæ & ipſæ mẽſuræ ſunt. Eſt enim τριτεύς tertia pars medimni continens chænices ſedecim. eſt ἑκτεύς ſexta pars, nimirum octo chænices. eſt ἀδδιξ nimirum octaua

 pars

pars medimni chænicum ſex. Eſt denique Hemiectum quaſi Semiſextum dixeris, hoc eſt, duodecima pars medimni Chænices habens quatuor vt Gale. etiam ait de pond. &c. menſ. Verum quoniam hę menſuræ ad chænicem reuocantur, eius magnitudo ſigillatim explicanda eſt.

*Chænix.*

DE Chęnicis magnitudine non eadem omniũ ſentẽtia eſt. Pollux Cotylas tres illi dat, hoc eſt, ſeſquiſextarium. ſic enim lib. 4. ait: Cotyle eſt tertia pars chænicis. Alij contendunt chænicem duos ſextarios Romanos capere: cui ſententiæ Pollux ipſe proximis verbis fauet, cum ait medimnum continere chænices quadraginta octo. cõſtat autem medimnũ capere ſextarios nonaginta ſex. Priori ſentẽtiæ fauent Cleop. & Dioſcor. vterq; enim, chænix ait habet Cotylas Atticas tres, poſteriori tamen ſententiæ Galen. fauet & ipſe de ponder. & menſur. dicens, chænix ſextarios duos. Vtrumque Fannius improbat cùm ſextarios quatuor chænici dat: de ſextario enim agens addit: Qui quater aſſumptus fit Graio nomine chænix. Conueniunt tamen omnes chænicem eſſe diurnum cibum vnius hominis

UVA. BHSC. BU 03005

minis. Vnde ſuper chænicem ne ſedeas, vete ri prouerbio dicitur aduerſus eos, qui in diē viuunt nulla cura futuri. In hac varietate inclinabat animus, vt Fannij ſententiam ſequerer: daremque quatuor ſextarios Atticos chę nici, qui efficiunt tres omnino Romanos, cibum vni homini in diem vnū ſufficientem, neque audebam tamen recedere à Galeni ſentētia, quoniá multorum ea communis eſt, præſertim cùm conueniat cum ijs quæ de menſuris ſuperioribus dicta ſunt. Neque verum eſt, neque noſtri ingenij eruditorum placita paſſim cóuellere. & fortaſsis chęnix duplex fuit, Attica duorū ſextariorū, cómunis ſextariorū quatuor, quod Alciato placuit ex parte de pō der. & menſ. liberū tamē iudiciū lectori relinquatur ex ijs quæ dicta ſunt, & ex aliorum lectione. Ezech. quidem .45. ver.10. vbi legimus Hebraicè: Ephi iuſtum, & Bathus iuſtus erit vobis, Septuaginta pro Batho chænicem poſuerunt, cùm Bathus multo maior chænice ſit. Sed & Epiphanius ephi, & chænicem pares menſuras facit. Chænicique dat duos ſextarios & aliquantulum amplius. Reliquum eſt, has Græcas aridorum menſuras inter ipſas comparare.



UVA. BHSC. BU 03005

Cypſele continet medimnos .6. hemiecta 48.chænices.192.

Medimnꝰ hemiecta continet.12.chænices.48

Chænix minima eſt inter Græcas aridorum menſura continens, vt plerique ſentiunt ſextarios Romanos duos, ponderis in vino aut aqua vnciarum Romanarum .40.

### *Menſuræ Aridorum Romanæ.* *Cap.*12.

PAVCAS Aridorũ mẽſuras inter latinos obſeruamus, nẽpe Gręcis ipſi mẽſurarũ nominibus vtebãtur, aut mẽſuras liquidorũ ad arida menſurãda cõuertebant. Ergo primũ medimnus occurrit, quã vocẽ à latinis Græci videntur accepiſſe, auctore Epiph. Sed nihilo diſcrepat ab Attico nimirum cõtinẽs modios Italicos ſex.

### *Modius.*

SEXTA Pars medimni modius eſt continens Atticas Chænices octo. vti ex Pollucis ratione ex Suida & Galen. de pond. conſtat, nimirum ſextarios Romanos ſedecim quantum duo modij Toletani, quos celemines dicimus. quatuor enim modij apud Romanos olim tum ſeruis tum militibus in menſem dabantur, vti ex Donato & Polybio intelligitur, nimirum octo modij frumenti noſtra-

tes

UVA. BHSC. BU 03005

tes vni homini menſtruam annonam prębét, ijs præſertim qui plurimum veſcũtur pane. Epiphanius modij vocem ab Hebræis inuentam ait, & continere ſextarios viginti duos. quod ab eo ſumpſit Iſidorus libr.16. cap.25. quòd ſi.24.dixiſſent poteramus de Hebraicis ſextarijs dictum interpretari, qui Romanis tertia parte ſunt minores. Hieronymus in vita Hilarionis, Marſitam quemdam ait, quindecim frumenti modios diu longèque portaſſe: & hanc habuiſſe palmam fortitudinis ſuæ, ſi aſinos vinceret. Nimirũ triginta celemines tritici, præſertim longo itinere non quicunque aſinus portet aut vix. Plin. lib.18. cap.7. ait modiũ leuiſsimi tritici nõ excedere vicenas libras. Nos Toletanum triticum non grauiſsimum ad examen vocantes inuenimus, duos eius celemines, nempe modium Italicum ponderare præciſè libras Romanas decem & nouem cum ſemiſſe. Aeris autem ſiccitati & quoniam triticum illud purgatum planè non erat, tribuendum ſuſpicabamur, quòd vicenas libras non excederet. Deinde grauiſsimi tritici duos celemines viginti & vnam libras Romanas, hoc eſt duodecim vnciarum ſingulas, ponderare deprehendimus:



UVA. BHSC. BU 03005

quod pondus Bæotici tritici modio Plinius dat. Neque vero omittendum eſt, locum Plinij eodem capite eſſe vitiatum, vbi de Panico agens, nullum, inquit, genus frumenti ponderoſius eſt, aut quod coquendo magis creſcat, ſexaginta pondo è modio reducunt. Legendum procul dubio triginta pondo. Quî enim credi poſsit cùm è modio tritici panis viginti pondo proueniant, triplicatũ idè panico reduci? Itaque è duobus celeminis paniceę farinæ, id eſt, modio experti ſumus vix triginta libras Romanas panis reduci. Idem lib. 15. c. 1. ex olearũ modio exprimi ait libras olei nõ amplius ſex. Sic ex vno celemine exprimentur ſummum. 36. vnciæ, ex faneca. 27. libræ noſtrates, hoc eſt amplius aliquãto quã Arroba, quę pendit libras noſtrates viginti quinq; præciſe. Quæ ratio in oleas fere conuenit optimas & præſtantiſsimas, vti ex earum faneca olei Arroba exprimatur plus minus.

*Demenſum.*

EX His colligitur demenſum apud Terentium in Phormione, menſuram eſſe modiorũ quatuor teſte Donato: qua etiã voce quidam abutuntur ad ſignificandum diurni cibi, quæ ſeruis dabatur, menſuram, nẽpe modij

modij Italici octauam partem noſtri modij quadrantē circiter, hoc eſt, ſextarios .2. Rom. Sic quod Hebræis gomor aut cabus erat, Græcis chęnix, nimirum menſura diurni cibi vni homini: idem putant voce demēſi apud Latinos ſignificari. tametſi non omnino pares eæ menſurę erant, ſed pro regionibus aliquantulum inter ſe diſcrepabant: vti ex ijs quæ dicta ſunt perſpici poteſt. Sic.

Medimus ſex modios continebat demenſa diurna. 45.

Modius continet de menſa .7. $\frac{1}{2}$ Demenſum minima aridorum menſura.

## *Menſuræ aridorũ Toletanæ. Cap. 13.*

NOSTRAE Etiam menſuræ explicandæ ſunt, quibus aridis metiendis vulgo Toleti vti conſueuimus. In quo numero cahiz maxima mēſura eſt, capit fanecas duodecim, ſeu medimnos Atticos totidem, modios noſtros. 144. quos celemines dicimus, Italicos ſeu Romanos veteres .72. tantũ, aut circiter.

Succedit faneca medimno Attico par. 6. modiorum

UVA. BHSC. BU 03005

diorum Italicorum Toletanos modios duodecim capiens.

Sequitur modius noſter ſeu celemin, eiuſque partes ſemodius, & modij quadrans. Continet autem ex liquidis modius noſter ſextarios Toletanos omnino decem, ſemodius quinque, quadrans modij continet duos ſextarios noſtros & ſemiſſem. Sic idem modius Romanos ſextarios octo continet, ſemodius quatuor, quadrãs noſtri modij duos Romanos ſextarios capit. Quæ omnia comparatione modij Romani veteris duplicanda ſunt: cùm modius Romanus ſiue Italicus duos modios noſtros contineat, ſi vera ſunt quę de pede Romano ſuperius à nobis ſunt diſputata. Ergo.

Cahiz continet fanecas .12. modios Toletanos.144.

Faneca continet modios .12. quadrantes modij.48.

Modius diuiditur in quadrantes quatuor.

Quadrans modij minima menſura aridorum Toletanis eſt. Niſi quis velit mẽſuras afferre quibus cuminos menſurant aliaque id genus, ad nullam certam rationem reuocatas varias inconſtanteſque.

*Hebrai-*

## Hebraica liquidorũ menſuræ. Cap. 14.

MENSVRAE Liquidorum maiori diligentia examinandæ ſunt: quoniam ex illis ferè de reliquis menſuris & põderibus ſtatuendum eſt, & in eorum tractatione auctores maxime hallucinantur, quas eſſe exploratas conueniebat in primis, ne turbatis fontibus quæ ex illis manant vitioſa eſſent. Corus quidem, quæ mẽſura inter Hebraicas liquidis & aridis ſeruiebat (nam viginti coros olei legimus. 3. Reg. ver. 11.) quantum caperet, ſuperius eſt explicatum. Nunc de reliquis dicendum eſt.

### *Bathus.*

BATHVS Badus etiam vocatur teſte Hieron. ad Ezech. cap. 45. & fere conuenit capere eum ſextarios .72. Sic Ioſephus libr. 8. cap. 2. Badus, inquit, poteſt capere ſextarios duos & ſeptuaginta. & cum Ioſepho conſentiens Epiphan. Bathum ait continere ſextarios. 72. tum ſeptuaginta, & noſter interpres lib. 2. Paral. cap. 4. ver. 5. pro ter mille Bathis,



UVA. BHSC. BU 03005

vt eſt in Hebraico, ter mille metretas poſue-
runt. Et conſtat metretam capere ſextarios
72. ab his recentiores ſcriptores quaſi rem mi
nimè dubiam receperunt: neque conſidera-
runt tamen quanta id difficultate impeditū
eſſet. nam cùm Ezech. 45. ver. 11. dicatur: ephi
& Bathus æqualia & vnius menſuræ erunt,
conſentaneum erat quantum ephi dabatur
tantundem Batho tribuere. ephi autem iux-
ta opinionem Ioſephi coro dantis decem me-
dimnos Atticos, continet ſex modios Itali-
cos, ſextarios Romanos nonaginta ſex: at vt
nobis videtur, & vti ſuperius eſt explicatum,
continet modios tres, ſextarios Italicos qua-
draginta octo. Quî ergo, aut qua via poſſu-
mus Batho tribuere ſextarios. 72? Sed nimi-
rum in ſextarij voce ambiguitate laboratur.
Negare enim non poſſumus Bathum capere
modò ſextarios Romanos quadraginta octo,
quantum amphora Romana. Sed ij tamen ſex
tarij cū Hebraicis comparati proportione ſeſ
quialtera, vti paulo poſt dicetur, efficiunt ſex
tarios Hebræos. 72. qui Hebraicè loghin nun
cupantur. quæ ratio conciliandi explicandi-
que difficultatem veriſsima eſt, & multis præ
terea locis accomodata. aut certe duplex Ba-
thus

UVA. BHSC. BU 03005

thus erat minor æqualis ephi, & maior proportione ſeſquialtera cum minore comparatus, nam cum. 3. Reg. 7. ver. 26. mare æneum dicatur continere duo millia Bathos. 2. Paralip. 4. ver. 5. dicitur cõtinere ter mille Bathos Hebraicè: quod noſter interpres & ſeptuaginta dixere tria millia metretas. Addũt quidam Bathi decimam dici Bathum, Ioſepho cum diuinis libris conciliando. cũ enim. 2. Palip. 2. ver. 10. Salomó pollicitus eſſet Hiram viginti millia coros tritici, hordei totidẽ, pręterea viginti millia Bathos vini, & totidẽ olei, pro quo noſter interpres dixit vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia: Ioſeph. lib. 8. cap. 2. dediſſe ait annuos bis mille coros tritici, & totidẽ olei Bados. Sed nimirũ inaudita mẽſurarum genera comminiſci oportebit omnibus auctorũ locis conciliandis, & Ioſe. vt humanus falli potuit aut eius libri vitiari, ne nos plus ſatis ea cura ſolicitet.

Eſt etiam in ſacris litteris vox *Salis* Pſalm. octogeſimo, vbi legimus: Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & Iſai. 40. quam quoniam à *Salòs* deducitur, quæ vox tria ſignificat. Quidam exiſtimarunt Bathi tertiam etiam ſignificare, ſextarios Romanos



UVA. BHSC. BU 03005

ſedecim, Hebraicos viginti quatuor. Ego in Rabbino quodam ad eum Pſalmi locum inueni *Salis* tria guletim, id eſt, tres vrceos eſſe. Non ergo quòd ſit tertia Bathi, ita nuncupatur: ſed quia tres vrceos continet, vt ille quidem ait. qua tamen menſura ſinguli vrcei eſſent, non explicat.

*Hin.*

HIN Duos Choas Atticos capit. Sic Ioſephus lib. 3. antiq. cap. 10. quod Hiero. cùm ex eo ſumpſiſſet ad Ezech. cap. 4. de ſuo addidit, quos (ſupple Choas) nos ſextarios poſſumus appellare. maluiſſem congios diceret. nam Fannius de ſextario agens ait, Qui quater aſſumptus ſit Graio nomine chęnix: Adde duos chus ſit vulgo, qui eſt congius idem. Conſentiunt Galen. Cleopatra & Dioſcor. choam Atticum continere ſextarios ſex, cotylas duodecim. Quod ſi Hin Hebraicũ duas choas capit, ſextarios duodecim efficiet, nimirum quod Hebræi alijs verbis eadem ſententia dicunt, continere duodecim Loghin. Verum ij ſextarij eſſent Romani an Hebraici non facile conſtitui poteſt. ipſe crediderim potius Hebraicos eſſe. Neque enim Hebræi Romanis ſextarijs vtebantur, ſed ſuis quos loghin

UVA. BHSC. BU 03005

loghin vocabant. Porrò duodecim ſextarij Hebraici octo Romanos exæquãt. Noſter interpres vocem Hebraicam *Hin* aliquando reliquit intactam Exo.*29*. ver. 40.&.30.ver.24. quod exemplo ſeptuaginta interpretum fecit, nam poſteriori loco vbi in Biblijs Regijs Græcè legitur oleum ex oliuis ἐν, legendum eſt ἶιν vt eſt in Romanis biblijs ſeptuaginta terpretum recens in lucem editis. Leuit. tamen.19. ver.*36*. vbi pro Hin Hebraico ſeptuaginta χοῦν dixerant, noſter interpres ſextarium poſuit. Epiph. Hin magnum ſextariorũ eſſe octodecim ait, ſanctum ſextariorũ nouem. In quo quid ſit ſecutus, diuinare nec poſſum, nec iuuat: illud ſi concedatur ſatis habeam, Hin capere duodecim ſextarios Hebraicos, Romanos octo. Qui duos Choas ſeu congios continere putarunt, ij ſextariorum numerum reſpexere nõ modum.

*Log.*

HAC Voce Hebraicus ſextarius ſignificatur minor latino proportione ſeſquialtera. quocirca Hier. Leuit.14. ver.10. &.12. pro log ſextarium reddidit, ſeptuaginta cotylam, quæ dimidium eſt ſextarij. Nimirum cùm præciſè neque ſextarius eſſet neque Co



UVA. BHSC. BU 03005

tyla per menſurarum vicinarum voces eius menſuræ modum explicarunt. Eſt enim vulgatum inter Hebræos, Log capere quantum ſex oua non anſerum, vt quidam finxit. Quid enim ad inuſitata reuocarent? ſed gallinacea, vt communis & recepta ſentētia eſt. Probauimus autem experimēto gallinæ ouum aquæ aut vini capere pondus vnciarum duarum & duarū drachmarū fere. atq; adeo ſex oua præcipuæ magnitudinis pondus vnciarum tredecim & tertiæ inſuper partis vnciæ, quæ duella dicitur Latinis, continebunt, id eſt, ſextarium Hebraicum. nouem autem oua eiuſdem magnitudinis pondus iuſtiſsimum efficient vnciarum viginti, quod pondus ſextarij Romani eſſe ſuperius eſt explicatum. Verum quoties maiores menſuræ minores contineant, etiam hoc loco ponendum eſt.

Bathus continet Hin ſex, loghin duos & ſeptuaginta, oua. 432.

Hin continet loghin. 12. oua. 72.

Log continet oua. 6.

Ouum minima inter Hebræos liquidorum menſura pondere in aqua vnciarū. 2. & drachmarum. 2. fere. Sed & Hebræi medici propria mēſurarū nomina habent *Qagheràh*, quę

vox

vox ſcutellam ſignificat, vtuntur ad ſignificã dũ acetabulũ octauã ſextarij partẽ. Et Vulgata num.7. ver.39. pro ea voce Hebraica acetabulũ reddidit. *Caph*, id eſt, vola ad ſignificã dum Cochlear, id enim ſignificat etiã num.7. ver.78.

### *Græcæ liquidorum menſuræ.* Cap.15.

IMPLICITA Diſputatio de ponderibus & menſuris eſt: multa ſæpe repetere neceſſe eſt, multa prętermittere. quis enim omnia colligat, quæ in veteribus ſcriptoribus & recentibus innumera extant? ſæpe etiam cognitio præcedentium cum poſterioribus eſt implicata, vti in præſenti accidit. Explicandis enim menſuris Græcis opus eſt intelligere, quod deinde explicaturi ſumus, amphoram Romanam capere vrnas duas, modios tres, ſextarios Romanos omnino octo & quadraginta.

*Amphora Attica.*

CAPIT Amphora Attica choas..12. ſextarios ſeptuaginta duos, Romanos an Atticos nõ explicãt auctores: & poſſemus credere Atti-

UVA. BHSC. BU 03005

Atticos potius eſſe, vt menſura maior & minor eiuſdem generis eſſent. Sic credit Robertus Senalis. Sed Fannius reſiſtit amphoræ Atticæ tribuens vrnas tres. Attica præterea dicenda eſt amphora nobis, ſeu Cadus: Hãc facies noſtræ ſi adieceris vrnam. Continet autem vrna ſextarios Romanos viginti quatuor, tres vrnæ ſextarios ſeptuaginta duos. Porrò ex verbis Fan. perſpicitur Atticã amphoram & Cadum eandem menſuram eſſe ( & ſi Pollux Cadum amphoræ Italicæ parẽ faciat.) Eſt etiam alio nomine Ceramium : ſic enim Heſychius ait: Cadus eſt ceramium. Eadem etiam menſura metreta eſt. nam fere quibus locis Dioſcor. metretam dixit, Plinius cadũ vertit. Præterea Nicandri interpres, Cleopatra, Epiphanius metretæ dant Choas duodecim, ſextarios.72. Quod ſi ſextarij Romani ſint, amphora Attica ſeu metreta continebit ſextarios Atticos.*96*. nimirum cum quibus Romani comparantur proportione ſeſquitertia: ſi ſextatij Hebraici ſint efficiẽt.108. nihilominus. Quod conferre poterit ad intelligendum ea, quę variè auctores de metreta affirmant. Quod vero Dioſcor. libr.5. ait. Eſt autem metreta Choes.10. placet Alciati ſenten-

ſententia, numerum eſſe vitiatum; quod facile potuit contingere in notis Græcis numerorum ιβ. β poſt iota poſitum eradi. Ex ijs intelligitur qua mẽſura hydriæ illæ ſex erant capientes ſingulæ metretas binas vel ternas, Ioan. 2. ver. 6. Nimirum metreta tres vrnas capit, ſextarios Romanos ſeptuaginta duos.

*Artaba.*

ARTABA, Græca menſura non erat ſed barbara. de ea tamen hoc loco dicendum eſt, quoniam à quibuſdam creditur metretæ eſſe par, & de ea in ſacris litteris & earum explanatoribus mentio extat. Quam fuiſſe triplicem colligit Philander in epitome Georgij Agricolæ de ponder. & menſur. Nempe maxima erat capax medimni & chænicum trium: & dicebatur Perſica, quoniam ea Perſæ vtebantur. Altera Medica erat, Medorum nempe propria, medimno Attico par. Tertia minima AEgyptia erat. de qua hoc loco agimus, quoniam frequens de ea mentio eſt, atque de eius magnitudine auctores varijs in trifariam diuiſi. Fannius Artabæ AEgyptiæ tres modios & trientem dat his verbis: *Eſt etiam terris, quas aduena Nilus inundat, Artaba, cui ſuperat modij pars tertia poſt tres.*



UVA. BHSC. BU 03005

Namque decem modijs (ſic lego pro, etiá modijs) explebitur Artaba triplex. Sic iuxta Fannij ſententiam hæc menſura continebit ſextarios Romanos quinquaginta tres cum triente. Epiphanius ex multa diligentia inueniſſe ait Artabam AEgyptiam eſſe ſextariorum duorum & ſeptuaginta: facitque eá metretæ ęqualem. Alij Artabæ AEgyptiæ tribuunt modios quinque, nimirum ſextarios octoginta. certe Gal. de pond. & menſ. quod ſecuti ſunt. Septuaginta interpretes Iſa. 5. ver. 10. cũ pro coro, id eſt triginta modijs ſex Artabas poſuerunt, nimirum ſingulis, Artabis dátes modios quinque ſeu ſextarios octoginta. Ná quod Hier. eo loco, Artaba inquit, mẽſura AEgyptia eſt, faciẽs modios. 20. in eo quid ſibi velit intelligere non poſsũ. Sed certe omnes. 6. artabas voluit eos modios facere: quod verũ eſt, ſi Artabæ dentur cũ Fan. modij tres cũ triente. Id me Nebriſſenſis admonuit repetit. 6. Neq; vero dicta aliorum auctorum conciliare liceat, niſi ex varietate ſextarij: vt Fan. locutus ſit de Romanis, Epiphan. de Atticis, Septuaginta interpretes de Hebraicis. nã ſi numero. 53. $\frac{1}{3}$ addas tertiam eius partem, hoc eſt. 17. $\frac{7}{9}$ efficientur ſextarij. 71. $\frac{1}{9}$ ſi vero eidem

N



UVA. BHSC. BU 03005

eidem numero ſemiſſem addas, nimirum. 26. $\frac{2}{5}$ euadent. 80. ſextarij præciſè. Porrò ex. 80. ſextarijs, quos in aliquo auctore aliquis inuenit facile fuit. 5. modios dicere. cùm non intelligeret quantum ſinguli ex ijs ſextarijs caperent, aut ſi qua alia commodior ratio his auctoribus conciliandis poteſt excogitari, ea nõſtræ præferatur.

*Amphoreus.*

METRETA Continet amphoreos duos. Sic ſe Cleop. in Georgicis inueniſſe ſcribit. amphorea ſextariorũ eſſe. 36. metretã ſextariorum. 72. ſic Nicandri interpres Amphoreus, inquit, capit ſextarios ſex & triginta, metretes duos & ſeptuaginta. De hac menſura locutus eſt Ariſtophanes in Pluto cùm dixit: οἱ δ' ἀμφορῆς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου. id eſt, amphoræ autem ſeu amphorei vini nigri atq́; odorati (ſupple pleni ſunt) & Herodot. lib. 1. meminit crateris à Cræſo miſsi Delphos, quem cepiſſe ait amphoreos ſexcẽtos. Quod vero Cleop. eundem amphoreũ dixit cõtinere cotylas quadraginta octo, de alio genere cotylarũ locutus eſt, nẽpe earũ quæ tres quadrãtes ſextarij cõtinebant, & Georgicæ vocabãtur, vt ipſamet Cleop. ait: quemadmodũ & aliud



UVA. BHSC. BU 03005

genus cotylæ inuenio, quæ ſexta ij duos trie-
tes continebat, tres duos ſextarios implebant. Vnde varij loquendi modi inter ſcriptores. quod conſiderandum eſt, ne lectori confuſionem pariant.

*Chus.*

PLERIQVE Omnes huic menſuræ ſextarios. 6. tribuũt. certè Cleopa. & Dioſc. tũ etiam Galen. chus, inquit, id eſt, congius ſex tarios ſex. cum quibus conſentiens Fannius de ſextario agens ait: Qui quater aſſumptus fit Graio nomine chænix. Adde duos chus fit vulgò, qui eſt congius idem. Verùm hos ſextarios crediderim non Atticos eſſe ſed Romanos, propterea quod metretam quæ continet choas duodecim, diximus ſextarios Romanos ſeptuaginta duos capere. Itaque chus ſi ad ſextarios Atticos referatur, octo cõtinebit. quod video Galenum etiam dixiſſe de ſignis & notis ponder. & menſur. cap 2. ſeu quicumque eius libelli fuit auctor. Sic enim ait: Chus habet Chęnicas duos, ſextarios octo. ſi vero de Hebraicis ſextarijs agatur, nouẽ ſextarios continebit. Cleopatra ſanè cùm dixiſſet, chus habet cotylas Atticas duodecim, ſextarios ſex, chænicas quatuor: addidit ſe in

UVA. BHSC. BU 03005

ſe in Georgicis choam inueniſſe ſextariorum nouem, cotylarũ duodecim. Noſter tamen interpres Leuit. 19. ver. 36. cùm ſeptuaginta interpretes pro Hin chûm reddidiſsẽt, ipſe ſextarium ſubſtituit: & Hiero. ad Ezech. cap. 4. Hin dixit cõtinere duos choas Atticos, quos nos ſextarios poſſumus appellare. In quo fortaſsis Plinium eſt ſecutus qui lib. 14. de Nectarite vino agens, vbi in Dioſcor. legerat vncias quinque eius radicis in choas quinque muſti addendas: ipſe vertit in ſextarios ſex, niſi forte in Dioſcor. choam legit, nõ choas quinq;. Vnus Suidas aliam rationem ſecutus videtur cum dixit: χόος δύξεστῶ, χοῦς γὰρ δύο ξέσαι χοεὺς δὲ ἕξ. hoc eſt, choos duorum ſextariorũ: chus enim duo ſextarij, choeus autem ſex. Itaque iuxta eius ſententiã differũt chus & choeus. Chus habet ſextarios duos, choeus ſex. Georgius tamen Agrico. contendit libr. 2. de ponderib. Suidæ verba eſſe corrupta, legendumq́;, Chænix duo ſextarij, choeus ſextarij ſex. Deniq; quod Ioſephus lib. 3. antiquit. cap. 10. Hin dixit continere duos choas Atticos, nẽpe ſextarios ſeu loghin duodecim, ad numerum ſextariorum debet referri, non ad menſurarum ęqualitatem: cùm ex ijs quæ dicta ſunt, con



UVA. BHSC. BU 03005

ſtet Hin continere duodecim ſextarios Hebraicos, duos tamen choas totidem quidem ſextarios capere ſed. Romanos, qui maiores Hebraicis ſunt: atque adeo cum illis proportione ſeſquialtera comparantur.

*Sextarius Atticus*

SEXTARIVS Atticus Ξέστης Græcè vocatur voce à latinis accepta, minor tamẽ ſextario Romano, vti Gall. ait lib. 1. de cõpoſ. medicam. per genera. c. 16. in hæc verba. Cæterũ ſextarij (hoc eſt ξέστου) Romani Herã meminiſſe puto. Nam apud Athenienſes neque menſura neque nomen hoc erat. Nunc ex quo Romani imperare orbi cœperunt, nomen ſextarij apud omnes, qui Græca lingua vtuntur, nationes exiſtit: ipſa verò mẽſura Romanæ æqualis nõ eſt, quippe alij aliam ſextarij menſurã vſurpant. Apud Romanos ſextarius libram vnam & ſemiſſem, & ſextã eius partem pẽdet, vt ſimul omnes iunctę vnciæ ſint viginti. hæc ille. Quantus vero ſit Atticus ſextarius neque Galen. eo loco declarat, neque eſt facile certa ratione ſtatuere. Quidam Attico ſextario vncias dant octodecim Suidæ auctoritate dicentis: Medimnũ modiorũ ſex, vt ſit menſura xeſtas ſeu ſextarios duos & ſeptuaginta

ginta capiens, id eſt, libras.108. quibus verbis ſignificatur xeſtem ſeſquilibram Romanam pendere drachmas.144. Alij Attico ſextario vncias.15. dant, certe Fann. Oxibapho, qui eſt octaua pars ſextarij, drachmas quindecim dat, Cyatho, qui eſt pars duodecima, drachmas decē. Sic enim ait: Bis quinq; hunc (nēpe Cyathum) faciunt drachmæ ſi appendere tē tes: Oxibaphus fiet ſi quinque addantur ad illas. Quod cùm ipſe paulo poſt ſextario aquæ det pōdus vnciarū.20. ne ſibi repugnare videatur prius dictum de partibus ſextarij Attici accipiendum, deinde de Romano ſextario loqui credendus eſt. Idem ſecuta Cleopatra ſextario tribuit drachmas centum & viginti, nimirum vncias quindecim. hæc illorum ſententia fuit. Et quidem cum Fannio Suidam conciliare facile eſt, ſi Suidam de vncijs menſuralibus interpretemur, Fannium & Cleopatram de ponderalibus. vtraſque enim olim fuiſſe neque pares prorſus, ſuperius explicatum eſt. Galenus ſanè libr.5.&.6. de compoſit. medicam. per genera cotylem nouem, & cotylem duodecim vnciarum fuiſſe ait. Ergo ſicut in priori cotyle loqui dicūt de vncijs menſuralibus, ita in poſteriori dicendum eſt,

atque

UVA. BHSC. BU 03005

atque adeo cotyle Italica non decem vncias menſurales capit (vt Georgius Agricola credidit lib.1. & .2.) ſed duodecim: ſextarius viginti quatuor certè menſurales. Nam quòd cotylem idem ait pro libra menſurali ſumi, confictum cupiditate ſuſceptam opinionem defendendi credebamus. Sed rurſus recentiores Fannium, cùm ſextario dare videtur vncias quindecim, nempe Oxybapho tribuens drachmas totidem, in oleo locutum interpretantur, quod nona parte aqua leuius eſt. ita vt nouem olei vnciȩ mole ſint pares decẽ aquæ. cui interpretationi Galen. fauet lib.5. de compoſ. medic. per genera. c.6. cùm ait: Atticam Heminam nouem Italicas vncias conficere, quæ pendunt ſeptem vncias & ſemiſſem. loquitur autem in oleo, vti locus ipſe declarat. Itaque ſextario Attico olei quidem vncias quindecim põderales dant, vini autem, quoniam oleo nona parte grauius eſt, vncias ſedecim, drachmas quinque; ſcripulum vnũ. Sic Georgij Agricolæ ratio procedit, & eorũ quibus eius ſententia placuit. Nos ſanè Galenũ ei ſententiæ & rationi fauere non negamus. Sed quoniam Fannius & Cleopatra abſolutè ſunt locuti, de aqua potius aut vino, quæ in com-

UVA. BHSC. BU 03005

communi vſu ſunt, eorum dicta accipienda putabamus. præſertim cùm quod Galen. alio loco dixit olei vncias menſurales .12. efficere decem ponderales, idem ex Adamãtij ſententia in vini vncijs dixerit Oribaſius, vti ſuperius eſt à nobis allatũ. Placet ergo ſextariũ Atticum vini aut aquæ pendere vncias quindecim non amplius. Plin. profectò lib. 21. cap. vltim. profeſſus ſe de Græcorum ponderum & menſurarum nominibus agere, Cyathus, ait, pendet per ſe drachmas decem: cum Acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartã partem, id eſt, drachmas quindecim. In quibus verbis vox, pendet, vt intelligatur de drachmis ponderalibus, eſt conſideranda: ſimulque rectè colligi, ſi cyathus pendet drachmas decem, ſextariũ pendere vncias quindecim, quoniam continet duodecim cyathos, atque adeo drachmas centum & viginti, quæ faciunt vncias quindecim. quod in vino aut aqua communibus liquoribus abſolutè à Plinio poſitum ſumatur.

*Aliæ menſuræ Græcorum.*

SVNT Et aliæ menſuræ Græcis, præſertim Athenis: quæ quoniam ad ſextarium referuntur, breui percurrendę ſunt. Cotyle ſiue



UVA. BHSC. BU 03005

Triblium ſextarij dimidium. Quartarius ſeu hemicotylium quarta ſextarij pars. Oxibaphū ſiue oxibaphus ſeſquicyathus octaua ſextarij. Cyathus ſextarij duodecima, capit enim ſexta rius cyathos. 12. quæ vnciæ etiam ſextarij vocantur. Chōca ſemicyathus. Myſtrum cyathi quadrās. Cheme cyathi quinta. Cochlear par uum, cyathi pars decima. Atque in hoc numero colligimus tum menſuras communes Athenienſium, tum eas, quibus eorum medici olim vtebantur. De menſuris Georgicis & veterinariorum nihil dicimus confuſione vitanda. Ex Georgio Agricola lib. 2. qui volet petat licet, Cleopatra & alijs. Nunc menſuræ allatæ inter ſe comparandæ ſunt maiores cum minoribus.

Amphora Attica ſeu metreta continet artabam. 1. & $\frac{1}{3}$. fere, amphoreos. 2. choas. 12. ſextarios Romanos. 72. Atticos. 96. cotylas Atticas (de his enim loquimur) 192. quartarios 384. oxibapha. 768. cyathos. 1152. choncas 2304. myſtra. 4608. chemes. 5760. cochlearia. 11520.

Artaba irregularis eſt & barbara, neque partes eius præciſè aſsignantur, numerorum minutijs vitandis. ſed tamen continet amphoreos

UVA. BHSC. BU 03005

reos.1.$\frac{1}{2}$ fere, choas.9.fere, ſextarios Romanos 53.$\frac{1}{3}$. Atticos.71.circiter cotylas.142.ſemicotylas.284.oxibapha.568. cyathos.852. cōchas 1704. myſtra.3408. chemes.4270. cochlearia.8520.

Amphoreus choas.6. ſextarios Romanos 36. Atticos.48.cotylas.96.ſemicotylas.192. oxibapha.384. cyathos.576. conchas.1152. myſtra.2304.chemes.2880.cochlearia.5760.

Chus ſextarios Romanos ſex, Atticos octo, cotylas ſedecim, ſemicotylas.32.oxibapha.64. cyathos.96. conchas.192. chemes.480. cochlearia.960.

Sextarius Atticus cotylas duas, ſemicotylas quatuor, oxibapha octo, cyathos duodecim, conchas.24.chemes ſexaginta, cochlearia centum & viginti.

Cotyla ſemicotylas.2.oxibapha.4.cyathos 6. cōchas duodecim, myſtra.24.chemes.30. cochlearia.60.

Oxibaphum cyathum vnum & $\frac{1}{2}$ conchas tres, myſtra.6. chemes.7. & $\frac{1}{2}$ cochlearia.15.

Cyathus conchas.2. myſtra quatuor, chemes.5 cochlearia.10.

Cōcha myſtra.2, chemes.2.$\frac{1}{2}$ cochlearia.5.

Myſtrum chemes.1.$\frac{1}{4}$ cochlearia.2.$\frac{1}{2}$.

O 2 Che-

UVA. BHSC. BU 03005

Cheme cochlearia .2. Cochlear minima liquidorum menſura.

## *Romanæ liquidorũ menſuræ. Cap 16.*

MAXIMA Inter Romanas menſuras liquidorum Culeus eſt viginti amphoras Romanas capiens. Fannius: Eſt & bis decies, quam conficit amphora noſtris, Culeus. Hac nulla eſt maior menſura liquoris. Capit ergo congios .160. ſextarios Romanos .960. Toletanos autem ſextarios capit .1200. Sed & hac ſæpe voce vtuntur veteres non in ſignificatione menſuræ, ſed magni cuiuſdam vaſis. quomodo in culeum inſuere dicimus. Erat autem forma vtris, nimirum ex corio bubulo: alioqui viginti amphoras non caperet: ſingulisq; plauſtris ſinguli culei vehi ſoliti erãt, vti veteres ſculpturę marmorũ indicio ſunt.

### *Amphora Romana.*

AMPHORA Romana Quadrantal etiam vocatur. amphora quidem quod vtraque ex parte anſam haberet ad commoditatem leuandi, Quadrantal autem quod ex pede Romano

UVA. BHSC. BU 03005

mano in quadrum facto conſtaret, vti Fannius, & Feſtus Pompeius aiunt. Capit ſextarios Romanos quadraginta octo, vti præter hos duos auctores tum Galen. his verbis docet: Amphora Italica habet choas octo. tum Voluſius Metianus de aſſe his verbis: Quadrã tal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet vrnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, ſextarios quadraginta octo, heminas. 96. quartarios. 192. cyathos. 576.

*Vrna.*

VRNA erat vas, quo præſertim mortuorũ cineres condebantur forma oblonga, atque in cuſpidem ima in parte deſinebat, gemina ſuperius anſa. Sed et pro menſura accepta Romanæ amphorę ſemiſſem continebat Atticæ trientem, nempe ſextarios viginti quatuor, congios quatuor, nimirum quantũ ſeſquimodius aridorum. Fannius: Huius (ſcilicet amforæ) dimidium fert vrna, vt & ipſa medimni.

*Congius.*

OCTAVA Pars amphoræ Romanæ congius eſt capiens ſextarios ſex, cui æqualis erat chus Atticus. Formatur autem congius ex dimidio pede Romano omni ex parte qua



UVA. BHSC. BU 03005

drato, capitque ſextarios Toletanos ſeptem cum dimidio, vti experimento comprobauimus facto congio ad menſuram pedis Romani è tribus maximi, vti ſuperius dictum eſt. A congio tricógius dictus eſt Torquatus Mediolanenſis à tribus congijs epotis vno impetu, inſpectante Tiberio miraculi gratia, Plinius lib. 14. cap. 22. Tum Ciceronis filium Bicongium ſimili de cauſa dictum memorant. Plin. lib. 18. cap. 7. optimi frumenti modium ait in ſubactu cógium aquæ capere. Nos probauimus experimento duos celemines optimæ farinæ, hoc eſt modium, ſubigi duabus azumbris fere aquæ. Continet ergo congius ſextarios $\frac{1}{2}$. Toletanos. 7. hoc eſt, duas azumbres minus ſextarij ſemiſſe.

*Sextarius Romanus.*

EX His colligitur quátus eſſet ſextarius Romanus, nimirum quarta parte maior ſextario Toletano. Ná cùm aquæ ſextarius Toletanus pendat vncias ſedecim, ſextarius Romanus pendet vncias viginti, nimirum proportione ſeſquiquarta cũ noſtro ſextario cóparatus, cũ Attico, quem diximus pendere in aqua vncias quindecim, proportione ſeſquitertia, cũ Hebraico proportione ſeſquialtera; quem



UVA. BHSC. BU 03005

quem quantum ſex oua capere dictum eſt, aquæ pondus vncias tredecim & trientem. Quæ quoniam ſuperius pluribus ſunt explicata, hoc loco repetenda non ſunt.

*Aliæ menſuræ Romanæ liquidorum.*

HEMINA Latinis idem eſt quod cotyla Græcis, nimirum ſextarij dimidium. tametſi ex Athenæo libr. 17. colligitur, veteres Græcos hemina etiam in ſignificatione cotylæ vſos fuiſſe. Quartarius pars. 4. ſextarij. Acetabulum octaua ſextarij pars, ſeſquicyathi menſura. Cyathus vncia ſextarij, hoc eſt, eius pars. 12. Cochlear ſiue ligula cyathi quadrãs, ſextarij pars. 48. cùm in Græcis menſuris cochlear ſit pars cyathi decima. Ligulę in aqua aut vino pondus eſt drachmarum. 3. ſcri puli vnius: ſiue noſtro more dixeris, octauarum trium, granorum aurificum. 25. tãtum. Nunc adijciamus quoties maiores menſuræ in minoribus contineantur.

Culeus continet amphoras. 20. vrnas. 40. congios. 160. ſextarios. 960. heminas. 1920. quartarios. 3840. acetabula. 7680. cyathos 11520. ligulas. 46080.

Amphora vrnas. 2. congios. 8. ſextarios. 48 Heminas. 96. quartarios. 192. acetabula. 384.



UVA. BHSC. BU 03005

cyathos.576.ligulas.2304.

Vrna congios.4.ſextarios.24.heminas.48. quartarios .96. acetabula .192. cyathos .288. ligulas.1152.

Congius ſextarios .6. heminas .12. quartarios .24. acetabula .48. cyathos .72. ligulas.288.

Sextarius heminas .2. quartarios.4. acetabula.8. cyathos.12.ligulas.48.

Hemina quartarios .2. acetabula .4. cyathos.6.ligulas.24.

Quartarius ccetabula .2. cyathos .3. ligulas duodecim.

Acetabulum cyathos.1. $\frac{1}{2}$ ligulas.6.

Cyathus ligulas.4. Ligula minima Romanis erat menſura liquidorum.

## *Toletanæ menſuræ liquidorũ. Cap.17.*

TOLETANAE Menſurę liquidorum paucæ ſunt, ac ferè ad quinque menſurarũ nomina reuocantur. In quo numero modius ſiue moius maxima omnium menſura vocatur. Continet arrobas ſeu amphoras Toletanas

UVA. BHSC. BU 03005

tanas ſedecim, arroba autem capit azumbres (ſeu congios Toletanos dicere malis) octo, ſextarios Toletanos, nimirum congij Toletani quadrantes. 32. qui efficiunt Romanos ſextarios viginti quatuor, pondere in aqua aut vino librarum noſtrarum. 32. Romanarũ. 42. cum beſſe, hoc eſt, vnciarũ. 512. Vtimur & dimidia arroba, quę reſpondet Romanorum vrnæ, minor tamen illa: continet enim quatuor congios Toletanos, ſextarios ſedecim, aquam aut vinum pondere librarum noſtrarum totidem. Sequitur Azũbre octaua pars arrobæ, capiẽs ſextarios Toletanos quatuor, Romanos tres & quintam ſextarij Romani partem, in aqua aut vino pendet libras quatuor Toletanas, hoc eſt vncias ſexaginta quatuor. Minima menſura eſt ſextarius Toletanus azumbris quarta pars, arrobæ. 32. pendet in aqua aut vino vncias ſedecim, minor ſextario Romano vncijs quatuor His menſuris in Italia quidem vulgò reſpondent follieta ſextario noſtro par fere. pendet enim in vino aut aqua vncias Romanas vulgares ſedecim. Medius conſtat ex follietis duabus. Bocalis conſtans ex follietis quatuor noſtræ azumbri reſpondens. Congitella conſtans bocalibus qua-



UVA. BHSC. BU 03005

tuor. duæ verò congitellæ noſtram arrobam circiter faciunt. In Gallia alijs nominibus pa res menſuræ ſunt, præſertim Pariſijs. Ciopina ſextario noſtro reſpondet, Romanæ follic tæ. Pinta duas ciopinas capit. Quartarius capit ciopinas quatuor. Sextarius ciopinas ſedecim. Duo ſextarij noſtræ arrobę reſpondent, nam quiuis ſextarius in Gallia quatuor noſtras azumbres circiter continet.

*Olei menſuræ vulgares.*

SVperioribus menſuris vino alijſque liquoribus metiendis vulgò vtimur. Oleum pondere venditur, emiturq́;, quemadmodú antiquis tẽporibus ſcimus fuiſſe factitatum inter Romanos. vti ex Plinio conſtat, lib. 18. cap. 3. Suet. in Cæſare. c. 38. l. ſi ex toto. ff. de legat. 1. Sed ex pondere tamen propria menſura olei facta eſt, Panilla vulgò dicta, põdere quatuor vnciarũ, quę vix poteſt cum ſuperioribus mẽ ſuris comparari. Sed ſextarium Romanum quatuor panillæ olei & dimidia faciunt. Sextariũ autẽ Toletanum implent tres panillæ, & tres panillæ quadrantes. ſic panillæ. 31. efficiẽt ſextarios. 10. nempe duas azumbres & ſemiſſem, panillæ. 124. efficiũt ſextarios Toletanos quadraginta, nempe arrobam menſuralem

& qua-

UVA. BHSC. BV 03005

& quadrantem. Mel etiam vulgò pondere vẽditur, ſed nulla ex pondere propria & caua menſura mellis.

*Menſuræ medicorum.*

PHarmacis conficiendis peculiares menſurę ſunt, quas vncias vulgò vocant, neq; pares inter ſe, nam vnciam triplicem habent. Olei vncia maxima eſt trium. aqua ſublimata menſuranda mediocri vncia vtuntur. minima ſyrupis. quæ neque inter ſe comparari facile poſſunt, neque cum ſuperioribus. Sed illud verè dici poteſt, quamuis harum vnciarũ ſi iuſta ſit, vnciæ pondus efficere, non communis ſed medicorum: ita vt vncia aquæ ſit minor vncia olei nona parte, at cum ſyrupi vncia, proportione circiter comparatur ſubſeſquialtera, quomodo aqua cũ melle: niſi quod ſyrupi aliquid aquæ miſcetur, & ſaccarum ex quo conficitur, melle aliquanto eſt leuius. Sic ſextarius Toletanus, quem diximus in aqua efficere vncias communes. 16. ex ijs vncijs medicis, capiet. 17. & grana aurificum. 37. $\frac{1}{2}$ præciſè: quæ grana paulo amplius medicorũ vulgari ſemidrachma ſunt: totidemq; vncias ſextarius capiet ex ijs, quibus aqua ſublimata mẽſuratur. Olei vncias capiet quindecim $\frac{3}{4}$

 fere

UVA. BHSC. BU 03005

fere. Syrupi vncias, quoniam ſyrupum melle leuius eſt, capit. 23. $\frac{1}{2}$ vti experimento comprobauimus. Quomodo hæ vnciæ menſurales medicorum poſſunt & debent cum menſuris alijs communibus liquidorum, & cum ponderibus comparari, atque iuxta hanc rationem has menſuras comparabimus.

Modius ſeu moius capit arrobas. 16. azumbres. 128. ſextarios Toletanos. 512. panillas 1588 $\frac{1}{2}$.

Arroba continet azumbres. 8. ſextarios Toletanos. 32. Panillas. 85. fere.

Azumbre capit ſextarios Toletanos. 4. Panillas. 14.

Sextarius capit panillas. 3. $\frac{3}{5}$ vncias medicas olei. 15. $\frac{3}{4}$ aquæ. 17. $\frac{1}{2}$ circiter, ſyrupi vncias continet, 23 $\frac{1}{2}$.

Panilla capit vncias medicas olei. 3. $\frac{3}{4}$ aquæ ferme. 4. ſyrupi ferme. 6.

Vncia minima omnium inter nos menſura liquorum eſt pondere vnciæ vnius.

*Hebrai-*

UVA. BHSC. BU 03005

## Hebraicæ interuallorũ mẽſuræ. Cap. 18.

NON Putaui hanc diſputationem fore abſolutam omni ex parte & perfectam, niſi de interuallorum menſuris ea dicerẽ, quæ in diuinis litteris paſſim occurrunt, & quæ ab alijs ſcriptoribus animaduerſa ſunt. Ergo quo cœpimus ordine progrediamur eatenus, vt primum de Hebraicis menſuris dicamus, ſed à minoribus inchoantes, cõtra quam in alijs partibus eſt factum. In quo numero minima menſura Ezbagh, hoc eſt, digitus fuerit, quem vulgò Hebræi tã latum eſſe affirmãt, quã ſunt lata ſex hordei grana qua parte craſſiſsima ſunt. Quod ſi digitus Romanus quatuor hordei grana non ſuperat, vti affert Philander in Vitruuium lib. 5. cap. 10. & eſt ab omnibus recepta ſententia, fiet vt digitus Hebraicus cum digito Romano comparetur proportione ſeſquialtera, continens quantũ ſeſquidigitus Romanus. Ex hac menſura cũ omnes aliæ oriantur, cõcedendum item erit, palmum Hebraicum, pedem, cubitum eodẽ



UVA. BHSC. BU 03005

modo parique menſura palmum, pedem & cubitum Romanum ſuperare. Sed quoniam ſex grana hordei experimento probauimus pollicem efficere ſeu vnciam pedis Romani, qui pollex digitum & trientem alterius digiti continet, verius arbitror digitum Hebraicum proportione ſeſquitertia cóparari cum Romano, quod de alijs menſuris pariter intelligatur.

*Palmus Tophàch.*

DE Digito vt menſura eſt, nulla mentio in ſacris litteris extat, ſed in libris tantũmodo Rabbinorum, atque in Miſna propria de menſuris & ponder. diſputatione. Nam in ſacris litteris minima in hoc genere menſura palmus eſt, qui Hebraicè *Tophach* vocatur, noſtro palmo reſpondens, niſi quod maior eſt illo, ſi vera ſũt quæ de digito diximus: atq; adeo cõſtans quatuor digitis Hebraicis, quinque Romanis & triente. Sic noſter interpres palmum fere pro ea voce reddidit exod. 37. ver. 12. Ezech. 40. ver. 5. tũ. 2. Paralip. 4. ver. 5. vbi de mari Æneo ſeu labro magno agit, & tamen. 3. Reg. 7. ver. 26. vbi de eiuſdem labri craſsitudine agitur, pro palmo tres vncias ſúbſtituit. Nimirum quatuor digiti, quibus palmus

UVA. BHSC. BU 03005

palmus conſtat apud quamque gentem, tres vnciæ, id eſt, pollices ſui cuiuſque pedis ſunt, certe ex latina loquendi conſuetudine ſic vocari nihil prohibet.

*Palmus maior Zereth.*

VVLGARI Conſuetudine palmum dicimus interuallum ab extremo pollice vſq; ad extremum auricularem, nempe quantum tres palmi minores ſeu digiti. 12. tametſi latinis palmi vox in ea ſignificatione non vſurpetur. Sed Hebræis tamen *Zereth* vocatur palmus maior digitorum duodecim. de qua mẽſura frequenter meminere ſacræ litteræ. nam exod. 28. ver. 16. vbi rationale palmi menſura fieri mãdatur, hic palmus non ſuperior intelligẽdus eſt. quemadmodum. 1. Reg. 17. ver. 5. vbi dicitur Goliath fuiſſe altitudinis ſex cubitorum & palmi. eodẽ modo Iſaiæ. 40. ver. 12. quis menſus eſt pugillo, aquas & cælos palmo ponderauit, de hoc palmo accipiatur. At vero apud Ezech. c. 40. ver. 5. in manu viri calamus. 6 cubitorum & palmi, &. c. 43. ver. 13. iſtæ autẽ menſuræ altaris in cubito veriſsimo qui habebat cubitũ & palmũ: palmi vox ijs locis non pro palmo maiori ſed minori ſumi debet, vt cõſtat ex lectione Hebraica Cõtra quod poſte-

UVA. BHSC. BU 03005

poſteriori loco ſequitur. Vſque ad labiũ eius in circuitu palmus vnus, de maiori palmo ſumi debet. quod miror viros alioqui doctos & diligentes non conſideraſſe.

*Pes Paghàm.*

PEDEM In ſignificatione menſuræ in diuinis libris ſumi non inuenio: ac ne ex libris quidem Rabbinorum colligi pro certo poteſt qu intus eſſet pes Hebræis, quo proculdubio metiendis areis & ſpatijs vſos eſſe quemadmodum alias gentes minime dubium eſt. In Ezech. tantum .cap. 41. ver. 6. vbi nos legimus: latera autem latus ad latus bis triginta trium, Hebraicè legitur, & latera latus ad latus triginta trium Paghamin. qua voce Kimhi pedes ſignificari interpretatur, in eo non omnino male. nam quod addit pedem continere quãtum duo minores palmi, in eo quid ſecutus ſit aſſequi non poſſum, quando apud omnes gentes menſura pedis ex naturalis pedis longitudine ſumitur, proximèque ad illam accedit, & cum digitis comparatus digitos ſedecim continet.

*Cubitus Amàh.*

FRequentiſsima in ſacris litteris cubiti mẽtio eſt Gen. 6. cap. conſtruenda arca, in taber-

UVA. BHSC. BU 03005

tabernaculi ſtructura, atque templi Hieroſolimitani. Et quidem cum *Amàh* frequentius in Hebraica lingua vocetur, Ezec hielis tamen. 41. ver. 8. *Acilàh* etiam nuncupatur, id eſt, axilla à medio pectore ad cubitum: quatuor enim cubitis vlna conſtat, ſtaturaque hominis. Præterea Iudic. 3. ver. 16. *Gòmed* dicitur cubitus, quo loco de gladij Aiod longitudine agitur, quem ad occidendum Eglonem regem comparauit. Noſter longitudine palmæ manus dixit .70. pro Gomed Σπιθαμῆς dixerunt, nempe palmum maiorem ſeu digitos duodecim, intelligentes. Addunt duplicem cubitum Hebræis fuiſſe, legalẽ maiorẽ, nempe ſex palmorum digitorum viginti quatuor. Præterea cubitum communem palmorum quinque, digitorum viginti, quales fuiſſe lecti Og regis Baſan longi cubitos nouem, lati cubitos quatuor. quoniam additur eos cubitos fuiſſe ad menſuram cubiti virilis manus Deuter. 3. ver. 11. nempe cubiti communis, quanta eſt longitudo à cubito ad extremos digitos, quinque cuiuſque palmorum, digitorum viginti non amplius. Porrò ex hac diſtinctione quidam explicant Ezech. locũ cap. 40. ver. 5. nã vbi nos legimus, & in manu



UVA. BHSC. BU 03005

viri calamus ſex cubitorum & palmo, Hebrai cè legitur ad verbũ, & in manu viri calamus ſex cubitorum in cubito & palmo. Quo indicatur non palmum vnum ſex cubitis adiectum, ſed quemuis è ſex cubitis cubito & palmo cõſtare. nimirũ vt ſignificaret cubitos ſex calami nõ cõmunes & vulgares eſſe digitorũ viginti, ſed legales ſiue ſanctuarij digitorum viginti quatuor, quãtus eſt ſeſquipes Hebraicus. Alioqui cũ hæ mẽſuræ cũ Romanis eius generis proportione ſeſquitertia cõparẽtur, cubitus Hebraicus maior, quantũ duo pedes Romani, ſeu digitos. 32. cõtinet nihilominꝰ.

*Calamus Qanèh.*

COntinet calamus Hebraicus cubitos ſex legales, digitos Hebraicos ſeu pollices 144. Quod ſi editionẽ noſtram ſequimur, palmus ſeu digiti quatuor ei numero adijciãtur, propterea quod calamũ quẽ vidit Ezech. in manu viri. c. 40. ver. 5. fuiſſe ait ſex cubitorũ & palmi. Qui certe palmus nõ digitorum 12. fuit, vt quidã putauit, ſed quatuor, cũ Hebraicè vox *Topach* ſit nõ *Zèreth*: & Septuaginta παλαιστ reddiderunt, quieſt palmus digitorũ quatuor. Verum quod de cubito diximus duplicem fuiſſe, idem in calamo accipiẽdum cogitabam,

UVA. BHSC. BU 03005

gitabam, calamum legalem ſex cubitorũ lega lium fuiſſe, calamũ vulgarem totidem quidẽ, ſed minorum cubitorum & vulgarium.

*Paſſus, iugerum, milliare.*

PAſſus Hebraice *Zaghàd* vocatur. 2. reg. 6. ver. 13. ſed quæ ea mẽſura ſit & quãta, nõ explicatur. Gręcis paſſus ſex pedum eſt, quinq; Latinis. Ex ijs gẽtibus quãtus Hebræis paſſus eſſet, conijcere facilius eſt quã certa ratione pronũciare. Eſt & iugerum Hebraicè *Zemed* 1. Regum. 14. ver. 14. Quin & *Beràth*, pro milliari legitur. Gen. 35. ver. 16. &. 2. reg. 15. ver. 19. conſtans, vt Hebræi ſentiunt, mille cubitis atq; adeò latino milliari multo minus.

*Aliæ menſuræ Hebraicæ.*

HActenus eæ menſuræ ſunt explicatę, quæ in diuinis libris reperiũtur. in libris Rabbinorũ multæ aliæ menſuræ occurrũt. *Zith* digitus minimus. *Cith* longitudo palmę a carpo ſeu iunctura ad digitornm radicẽ paulo amplius quã digiti. 4. *Salil* calamus. *Qumàh* ſtatura hominis. *Rus* menſura ſeptuaginta calamorum eſt, cubitorum. 420. ſi ſequimur calamum ſex non amplius cubitos continere. *Parſàh* milliare magnum eſt, conſtans quatuor minoribus milliaribus, vti Elias



UVA. BHSC. BU 03005

in Thiſbi auctor eſt. Maiores ſupereſt menſuras in hoc genere cum minoribus comparare, non omnes tamen ſed præcipuas, quæ in ſacris libris extant, & quarum longitudo cognita erat.

Milliare continet calamos .166. $\frac{1}{3}$. cubitos 1000. pedes Hebraicos. 1500. palmos maiores 2000. palmos minores. 6000. digitos ſeu pollices. 24000.

Calamus continet cubitos .6. pedes. 9. palmos maiores duodecim, palmos minores .36. digitos. 244.

Cubitus pedes. 1. $\frac{1}{2}$ palmos maiores .2. palmos minores. 6 . digitos. 24.

Pes palmos maiores .1. $\frac{1}{4}$. palmos minores. 4. digitos. 16.

Palmus maior minores palmos tres, digitos duodecim.

Palmus maior digitos quatuor. Digitus menſura minima eſt: tametſi quantum ſex grana hordei continere, ſuperius dictum eſt.

*Græca*

UVA. BHSC. BU 03005

## *Cræcæ interuallorum menſuræ. Cap. 19.*

DE Cræcis interuallorum menſuris pauca quædam dicenda ſunt ex Herodoto in Euterpe, ex Polluce, Heſychio & Suida collecta magis, quàm longo ſermone explicata, aut veterum teſtimonijs ſigillatim confirmata. Ergo à minoribus ſi inchoemus, Dactylus, id eſt, digitus primum occurrit. Paleſte παλαιστή eſt palmus minor digiti quatuor, cubiti pars ſexta, vt Hieron. affert ad Ezech. cap. 40. vbi & illud addit ad obſeruationem inſigne, à quibuſdam diſtinctionis cauſa hũc palmum abſolutè, maiorem de quo diximus, dicemuſque rurſus, vocari palmam. ſic Iud. 3. ver. 16. vbi pro Hebraico Gomed Septuaginta poſuerũt Σπιθαμὴν, nempe palmum maiorem, Latinus interpres longitudinẽ palmæ eorum auctoritatem ſecutus dixit. Leonar. Aretinus hoc ſecutus. 5. Poli. cap. 3. pro. Σῶμα δυοῖν σπιθαμαῖν Latinè vertit, corpus duarum palmarum. quod feciſſe etiam obſeruo libr. 7. cap. 4. credo & Gazam locis nõ paucis. Porrò palmus minor



UVA. BHSC. BU 03005

Græcè etiam Dochme, Dactylodochme, Doronq́; vocatur, vti Pollux ait lib. 2. ne nominũ multitudo fallat. Plin. lib. 35. c. 14. genera eorum (laterum) tria. Didoron, quo vtimur, lõgum pede latum ſemipede (ſic legito) alterũ tetradoron, tertiũ pentadoron. Græci enim antiqui doron palmum vocabant: & ideo dora munera, quia manu darentur.

Lichas digiti decem, longitudo interpollicem & indicem extenſos, quod vulgò xeme dicitur.

Orthodoron ὀρθόδωρον digiti vndecim, longitudo palmæ hominis à carpo ſeu iunctura ad ſummum digitum medium Pollux lib. 2.

Spithame σπιθαμὴ maior palmus digiti. 12. quam vocẽ Septuaginta ſubſtituuut fere pro *Zerèth* Hebraico, certè Ezech. 43. ver. 13. vbi nos legimus, & definitio eius vſq; ad labium eius in circuitu palmus vnus: Græcè σπιθαμῆ vti & locis alijs obſeruamus. Philander in lib. 3. Vitru. cap. 1. affirmat pro σπιθαμῆ Plinium vertiſſe palmum libr. 21. capit. 7. & Græcos alterum pro altero vſurpare παλαιστὴν pro σπιθαμὴ & écontrario pari libertate.

Pes palmorum quatuor eſt digitorum. 16.

ma-

UVA. BHSC. BU 03005

maior pede Romano ſemuncia, minor Hebraico quadrante circiter.

Pygme digiti octodecim, nempe à curuatura brachij ad digitorũ radices: aut potius cubiti menſura, digitis tamen contractis. Eſt & Pygon digitorũ viginti cubitus, Pygme maior, neque iuſtus tamen, longitudo à curuatura ad digitos complicatos, neque contractos tamen prorſus, ſeu ad mediam iuncturam digiti medij. & vocari poteſt Palmipes, nempe ex pede & palmo.

Cubitus πῆχυς, qui eſt cubitus integer à curuatura vſque ad ſummos digitos, nempe ſeſquipedis longitudo, digiti .24. Nã quod Suidas affirmat. πῆχυν cubitum duorum pedum eſſe, pedem digitorum ſedecim, in eo quid ſit ſecutus ignoro: niſi fortaſsis ad Hebraicum, aut Hebraico parem alicuius gentis cubitum reſpexit.

Orgyia paſſus, pedes ſex, cubiti. 4. Alij vlnam interpretantur, quantum vtraque extenditur manus, Seruius Ecloga .3. Quæ ὠλένη etiã Græcis dicitur: tametſi Pollux ὠλένην cubitum eſſe vult: nimirum πῆχυν: ne variæ opiniones conturbent.

Plethron πλέθρον ſexta eſt ſtadij pars pedes centum

centum. Suidas, Plethron, inquit, ſtadij ſexta pars, quod eſt cubitorum.68. totum enim ſtadium quadringentos, aut omni ex parte habens pedes triginta octo. Quod poſtremo dictum non ſatis intelligo.

Stadium Orgyias ſeu paſſus centum habet, cubitos quadringentos, pedes ſexcentos. Herodotus in Euterpe non multò ante finem. Cétum autem iuſti paſſus ſtadium vnum ſexplethrorum. Paſſus inquam menſuræ ſexpedum ſiue quatuor cubitorum. Pedes autem quatuor palmorum, cubiti verò ſex palmorũ.

Diaulus ſtadia duo.

Hippicon ſtadia quatuor.

Milliare ſtadia octo continet, Græcè μίλιον dicitur: tametſi Græca menſura non eſt, ſed à Romanis cũ alijs immutato imperio ſumpta. continet pedes quidem Græcos.5400. Romanos autem ſex millia.

Dolichos δόλιχος ſtadia duodecim, ſeſquimilliare. Suidas Dolichos, ait, eſt ſtadia .24. quod ſi verum eſt, neque numerus eſt vitiatus, tria milliaria Dolichos efficiet.

Eſt etiam apud Herodotum in Euterpe Paraſanga triginta ſtadiorum, & ſchœnos σχοῖνος id eſt, funiculus continens ſtadia ſexaginta, eius

UVA. BHSC. BU 03005

eius verba ſunt. Etenim qui modicum terræ poſsident, metiuntur illam paſsibus: qui minus inopes terræ ſunt, metiuntur ſtadijs: qui multum poſsident parasangis: qui plurimũ ſchœnis. Cõſtant autem paraſangæ tricenis, ſchœni ſexagenis ſtadijs. Hæc Herodotus de Ægypto loquens. Plin. lib. 12. cap. 14. Schœnus, ait, patet Eratoſtenis ratione ſtadia quadraginta, hoc eſt, paſſus quinque millia. Aliqui triginta duo ſtadia ſingulis ſchœnis dedere. Qua ratione mirificè cum Leuca Hiſpanienſi conuenit. Maiores nunc menſuras cum minoribus comparabimus.

Schœnus continet paraſangas 2. dolichos 5. milliaria . 7. $\frac{1}{2}$. hippica . 15. diaulos. 30. ſtadia. 60. plethra . 360. orgyias . 6000. cubitos 24000. pedes. 36000. palmos. 48000. paleſtes ſeu palmos minores. 144000. digitos. 576000.

Paraſanga dolichos . 2. $\frac{1}{2}$. milliaria tria $\frac{3}{4}$. hippica. 7. $\frac{1}{2}$. diaulos. 15. ſtadia. 30. plethra. 180. orgyias . 3000. cubitos. 12000. pedes . 18000. ſpithamas . 24000. paleſtas . 72000. digitos 288000.

Dolichos milliare. 1. $\frac{1}{2}$. hippica . 3. diaulos 6. ſtadia. 12. plethra. 72. orgyias . 1200. cubitos 4800. pedes . 7200. ſpithamas . 9600. pale-

ſtas.28800. digitos.115200.

Milliare hippica.2. diaulos.4. ſtadia.8. plethra.48. paſſus .1000. cubitos.4000. pedes 6000.ſpithamas .8000. paleſtas.24000.digitos.96000.

Hippicon diaulos .2. ſtadia quatuor. plethra .24. paſſus .400. cubitos . 1600. pedes 2400. ſpithamas .3200. paleſtas .9600.digitos.38400.

Diaulus ſtadia.2.plethra.12.paſſus.200. cubitos.800 pedes .1200. ſpithamas .1600.paleſtas.4800.digitos.19200.

Stadium plethra .6. paſſus .100. cubitos 400. pedes .600. Spithamas .800. paleſtas 2400. digitos.9600.

Plethron paſſus 16.$\frac{2}{3}$. cubitos.66.$\frac{2}{3}$. pedes centum, ſpithamas .133.$\frac{1}{3}$ paleſtas .400. digitos 1600.

Orgyia, hoc eſt, paſſus ſeu vlna cubitos.4. pedes ſex, ſpithamas octo.paleſtas.24. digitos nonaginta ſex.

Cubitus pedem vnum $\frac{1}{2}$. ſpithamas.2. paleſtas .6. digitos.24.

Pes ſpithamas.1.$\frac{1}{3}$, paleſtas quatuor, digitos ſedecim.

Spithama paleſtas.3. digitos duodecim.

R    Pale-

UVA. BHSC. BU 03005

Paleſtes digitos .4. Orthodoron eſt intermiſſum, quoniam cum alijs menſuris vix poteſt comparari, continens digitos .11. Sic pygme, lychas & pygō comparata ſimili de cauſa non ſunt, & quoniam minus nobiles menſuræ, ſimul ad prolixitatem vitandam.

## *Romanæ interuallorũ mẽſuræ. Cap.* 20.

MENSVRÆ Romanæ interuallorum fere reſpondēt Gręcis: ſed & eæ propria diſputatione explicãdæ ſunt, ac ad pedem fere reuocãdæ. Rectè enim Columella libr. 5. cap. 1. modus, inquit, omnis areæ pedali menſura comprehenditur, qui digitorum eſt .16. pes multiplicatus in actus & paſſus, & climata & iugera & ſtadia, centuriaſque, mox etiam in maiora ſpatia procedit. Quod de areis dictum ad longitudines poteſt traduci, omnes longitudinum menſuras ad pedem reuocari, hoc tantùm diſcrimine, quod in his pede ſimplici, in illis pede quadrato vtimur. Verum cûm de pede Romano inter auctores nō conueniat, in cęteris menſuris, quæ ab illo



UVA. BHSC. BU 03005

pendent, aut ad illum referuntur, ſimili ratione diſcrepent neceſſe eſt: & nos ſuperius quis e tribus qui circumferũtur pro Romanis pedibus, verus ac legitimus eſſet, ſi non certa probabili ſaltem ratione conſtituimus.

Eſt ergo minima menſura inter Romanas digitus pedis pars ſextadecima. Sed digitus rotundus eſt atque quadratus in hoc differentes: quòd rotundus minor tribus quartis decimis ſuis quadrato digito eſt. Succedit Pollex vncia pedis, hoc eſt, pars duodecima. Vnciales litterę apud Hiero. prologo in Iob, erant pollicis magnitudine, ſicut beſſales litterę vocantur, quæ duas tertias pedis lõgitudine æquãt. Quatuor digiti palmum faciunt, duodecim palmum maiorem quantum vterque digitus pollex & minimus quam maximè extendũtur. Hunc palmum ſæpe Plinius dodrantem nimirum pedis vncias .9. vocat. lib. 7. cap. 3. Pygmæos ait ternas ſpithamas lõgitudine habuiſſe, hoc eſt, ternos dodrantes: aliquando, vti ex Philandro adduximus, palmum. Quã vocẽ alij negant in ea ſignificatione à Latinis auctoribus vſurpari. Sed ex quatuor tamen palmis minoribus, digitis ſedecim pes cõſtat. Sed eſt pes ſimplex & pes quadratus, quo metimur

timur areas. aut potius vt Iuli. Frontinus de menſuris: Pes triplex eſt, porrectus ſemipedes duo, nimirum ipſa longitudo pedis. contractus nimirum ſemipes quadratus, in cuius ambitu ſunt ſemipedes quatuor. Porrò pes quadratus, in cuius ambitu octo ſemipedes ſunt, nihilominus. Cubitus ſeſquipes, palmorum ſex, digitorum viginti quatuor. Rectè Vitruuius libr. 3. cap. 1. cubitumque, inquit, animaduerterunt ex ſex palmis conſtare, digitis. 24. Eſt & cubitus regius Græcis tamen, trium amplius digitorum, ex Herodoto lib. 1. & cubitus Ægyptius ſeu geometricus communium cubitorum ſex. Aug. lib. 15. de ciuit. cap. vltim. tales cubitos fuiſſe ait arcæ quã Noe extruxit, Orig. etiã auctoritate. Alioqui genera animantiũ omnia quî poſſet capere.

Greſſus duorum pedum & ſemiſsis. Paſſus à paſsibus, ſiue diductis pedibus, quinque pedes habet, vti Columella ait lib. 5. cap. 1. maiorique longitudine eſt vlna vno pede ex Vitruuio lib. 3. cap. 1. nimirum quantum vtraque extenditur manus, vti Seruius ait Ecloga. 3. Suetonius tamen vlnam vnum cubitum eſſe tantũmodo vult: in quo de vlna Græca auctores etiã diſcrepare diximus. Pertica,

 ſeu

UVA. BHSC. BU 03005

ſeu decempeda pedum decem, vti nomen declarat.

Stadium paſſus cótinet.125.pedes.625.quę ſunt Plin. verba lib.2.c.23. Quòd cùm ſtadiū Græcum paſſus.100.pedes.600.efficiat præciſè, ex eo colligitur primò paſſum Græcū ſex pedum eſſe, deinde pedē Græcum Romano maiorem ſemuncia eſſe, hoc eſt, parte.24. nā ſexcentæ ſemuncię efficiunt pedes viginti quinque, quibus numerus pedum ſtadij Romani Græcum numerum ſuperat, cùm longitudo vtriuſque ſtadij ſit eadem.

Milliariū ſeu milliare ex octo ſtadijs, paſsibus mille cóſtat, pedibus.5000. Atq; hæc milliaria lapides a Romanis vocantur: vt cùm dicimus ad tertium ab vrbe lapidē proceſiſſe: quoniam columnis lapideis milliria diſtinguere conſueuerant, inſtituto, quòd primus Caius Gracchus excogitauit: vti ex Plutarcho in eius vita colligitur.

Actus minimus latitudine pedes.4. longitudine pedes.120. complectitur. Clima quo quo verſus pedū eſt.60. Porca apud Colum. lógitudine habet pedes.120. latitudine.30. Ex.4. porcis cóſtans actus quadratus vndiq; finitur pedibus.120. Hoc duplicatum facit iu

gerum

gerum, & ab eo quod erat iunctum nomen iugeri vſurpauit, quæ ſũt ipſa verba Colum. lib. 5. c. 1. Sic iugerum pedes. 240. longum, latum pedes centum viginti, pedes quadratos continebit viginti octo millia octingentos. Qui addit lib. 2. c. 9. iugerum agri pinguis plerumque modios tritici quatuor, mediocris quinque poſtulare (memento quatuor modios efficere celemines octo medimni beſſẽ) Idem proximo. c. iugerum agri non amplius quatuor ſextarijs naporum ſeminis ait ſerendum eſſe. Vnde facile conijcere licet, quá ta iugeri menſura eſſet. Plinius lib. 18. cap. 3. Iugerum, ait, vocabatur, quod vno iugo boum in die exarari poſsit. Errant ergo qui iugerum quoquouerſus ducentos & quadraginta pedes patere volunt. Sic enim non geminum actum contineret, ſed quadruplicatum, pedeſque quadratos. 57600.

Centuria continet centum iugera: quæ poſtmodum duplicata nomen tamen centuriæ retinuit, vti Varro ait de re ruſtica libro. 1. capite. 12. ſic centuria ſimplex pedes quadratos continebit. 1152000 hoc eſt, ſi Latinè dicas, centies quindecies centena

centena viginti millia. Saltus continet quatuor centuriasconiunctas, nimirum ſimplices, vt ſint in vtramque partem binæ centuriæ, vt idē Varro loco citato ait. Neque plura de Romanis menſuris interuallorū. tantum quodſupereſt, & vt inſtituimus maiores cum minoribus comparabimus. Sed hæ menſuræ duplices ſint, aliæ quibus longitudinem & latitudinem mēſuramus, hoc eſt, ſuperficiem, vt iugerum, clima. Aliæ quibus longitudinē tantùm, id eſt, lineam. quemadmodum linea & ſuperficies diuerſi generis ſunt, ita vtræque menſuræ compararari non poſſunt, ſed alterutræ cū ijs quæ ſui generis ſunt. Primum ergo menſurælatitudinum & longitudinum hoc modo poſſunt & debent comparari.

Saltus cōtinet cēturias. 4. iugera. 400. actus quadratos. 800. climata. 3200. actus minimos. 96000. pedes quadratos. 4608000.

Cēturia iugera. 100. actus quadratos. 200. climata. 800. actus minimos. 24000. pedes quadratos. 1152000.

Iugerū actus quadratos. 2. climata. 8. actus minimos. 60. pedes quadratos. 28800.

Actus quadratus climata. 4. actus minimos. 30. pedes quadratos. 14400.

Clima

Clima actus minimos .7. $\frac{1}{2}$ .pedes quadratos.3600.

Actus minimus pedes 480.

Rurſus ab alio principio inter menſuras lō gitudinis tantùm hoc modo eſt procedendum.

Milliare continet ſtadia.8.paſſus.1000.cubitos.3334.$\frac{1}{3}$.pedes.5000.dodrantes.6668.$\frac{2}{3}$. palmos.20000.pollices.60000.digitos.80000. Stadiū paſſus.125.cubitos.416.$\frac{2}{3}$.pedes.625. dodrantes .833.$\frac{1}{3}$. palmos .2500. digitos 10000.

Paſſus cubitos.3.$\frac{1}{6}$.pedes.5.dodrantes.6.$\frac{1}{3}$. palmos 20. digitos 80.

Cubiitus pedes.1.$\frac{1}{2}$.dodrantes.2.palmos 6. digitos 24.

Pes dodrantes 1.$\frac{1}{4}$.palmos 4.digitos 16.

Dodrans palmos.3. digitos.12. Palmus digitos.4.

## *Toletanæ interuallorum menſuræ.*

## *Cap.21.*

S Tole-

UVA. BHSC. BU 03005

MENSVRÆ interuallorũ vulgò vſitatæ inter nos, ſiue in mercimonijs, ſiue dimetiendis agris aut areis, ſiue in reliquo vitæ vſu, omnes fere ad virgam mercatorum (genus id menſuræ eſt Hiſpanis notæ) ſiue vlnam reuocantur: atque ex illa peti debet, quantę ſint menſuræ alię. Sed vt quo cœpimus ordine progrediamur, à minoribus ad maiores, digiti magnitudo explicabitur primum.

Minima menſura noſtris digitus eſt, vti omnibus alijs: de quo verius quam de Romano digito dici puto, tantum ſpatium continere quantum quatuor hordei grana: minor enim Romano digito eſt duodecima circiter Toletani parte. Hebraicuſque digitus maior Toletano eſt proportione amplius ſeſquitertia. Quod ex ijs, quæ dicentur de pede, melius intelligetur. Neque enim aliter digitus cum digito, quam cum pede pes comparatur.

Pollex à noſtris pulgada dicitur, pediſque pars duodecima eſt.

Sunt .4. digiti quantũ manus ſecundũ latitudinẽ extenditur palmus latinis, vt dictũ, mi

nor

UVA. BHSC. BU 03005

nor tamen illo, vti de digito dictum eſt.

Si .4. digitis imponas & protendas pollicẽ noua mẽſura exiſtet digitorũ.6. Cotus vulgò dictus, neq; vlli veterũ reſpõdens, octaua tantum eſt virgæ noſtræ, ſemis maioris palmi.

Sequitur menſura alia digitorum octo, quã tum pollex indexque extenduntur, ſexta virgę ſeu vlnæ pars, pedis Toletani ſemis : vnde & xeme vulgò dicitur à ſemis, ſic ipſe cogitabam. aut fortaſsis à cheme dicitur menſura Græca, quę ſicut pars quinta eſt Cyathi, ita noſtrum Xeme virgæ quinta ſit : iuxta quam rationem non octo, ſed decẽ fere digitorum erit, vti lychas Græcorum.

Palmus digitorũ eſt.12. quemadmodũ alijs nationibus, virgæ noſtræ quarta.

Pes legalis Toletanis tertia virgæ præciſè eſt, minor Romano vncia vna. Continet autẽ digitos ſedecim. ſic pes Hebraicus Toletanũ cõtinebit, & amplius trientẽ, Græcus Toletanũ continebit, & octauam ferme Toletani.

Cubitus ſeſquipes eſt, hoc eſt, virgæ ſeu vlnæ Toletanæ ſemis, digitorum quatuor & viginti. Virga ſeu vlna trium pedum menſura eſt, palmorũ noſtrorũ. 4. digitorũ. 48. aliarum mẽſurarum fons, ad quem examinari debent.

Paſſus pedes quinque, raròq; ea menſura vtimur. Status pedum ſex, quanta hominis ſtatura exiſtit.

Cãna ab Italis accepta palmorum.10. Reſtis palmorũ maiorũ.33. octingẽtæ reſtes leucã faciunt. Porrò reductis palmis ad pedes, reſtes 800. continẽt pedes.19800. nimirũ 4000. paſſus fere. Sed leuca duplex eſt legalis quinque milliũ nẽpe cõtinens paſſus.5000. pedes 25000. Leuca cõmunis & vſitata vnius menſuræ nõ eſt ſed variæ, pro regionũ varietate. Cõſentiunt tamen auctores, quatuor fere Italica millia efficere. Illefonſus de viris illuſtribus in Aſturio Complutum Toleto diſtare ait ferme ſexaginta paſſuum millibus: & ſanè quindecim hodiè leucæ numerantur.

Sunt & agrorum menſoribus propriæ menſuræ. Stadalis ab Italico Staiolo manauit. Sed ſtaiolus Romæ quinque palmorum & dodrãtis eſt, nimirum digitos continens.69. Stadalis vndecim pedum eſt Toletanis nihilominus. Faneca terræ ſic dicta, quòd faneca frumẽti ſeratur, ſi hordei ſtadales quadratos continet quadringentos, ſi tritici ſexcentos, media ſtadales continet quingentos.

Aranciata, qua menſura vineas metiri ſolemus

mus, apud quoſdam numero vitium defini-
tur, Toletanis ſtadales continet quadringen-
tos: reſpondetque Aranciata fanecæ, ſiue lati
no iugero, maior illo tamen: nam Aranciata
fanecaq; hordei vndiq; finitur pedibus .220.
ſtadalibus viginti, cõtinens pedes quadratos
48400. Sed pedem Toletanum memento mi
norem eſſe Romano. Itaque continebit fane-
ca noſtra circiter iugerum & ſemiſſem. Et in-
uenio tamen in agri Toletani faneca, ſi irrigu
us ſit, quinque naporum ſeminis ſextarios
noſtros ſeri, nẽpe quatuor Romanos. Quod
tantundẽ in iugero ſeretetur, id bonitati agri
Italici tribuebam. Nam quo pinguior gleba
eſt, plus ſeminis eius capit vſque adeo, vt in
tenui ſolo, neque irriguo, dimidium tantum
eius menſura ſeminis ſeratur. Contra in Mur
ciani agri faneca inuenio ſeri ſeptem noſtros
ſextarios eius ſeminis cum dimidio, certe ſex
Romanos ſextarios. Quæ obſeruatio cũ Pli-
nij ratione mirificè cõuenit. lib. 18. cap. 13. &
cum Columella dicente in iugero ſeri napo-
rum ſeminis ſextarios quatuor.

Poſtremo loco Iugada eſt, continens quin-
quaginta faneças terræ: reſpondetque cen-
turię ſimplici Latinorum, quãuis minor illa.



UVA. BHSC. BU 03005

ac fere quantum agri par boum colit vno anno.nec plura de his menſuris Toletanis.maiores tantùm menſuras cum minoribus comparabimus.

Leuca cõtinet Cannas.2833.$\frac{1}{3}$.ſtatus.1166.$\frac{2}{3}$.paſſus.5000.virgas.8333.$\frac{1}{3}$.cubitos.16666.$\frac{2}{3}$.pedes.25000. palmos .38333.$\frac{1}{3}$ xemes .57500. cotos.73333 $\frac{1}{3}$ pollices.310000.digitos.460000

Canna ſtatus.1.$\frac{1}{4}$.paſſus.1.$\frac{3}{4}$. virgas duas.$\frac{1}{2}$.cubitos quinque,pedes.7.$\frac{1}{2}$. palmos decem, xemes quindecim,cotos.20. pollices .90. digitos.120.

Status paſſus .1.$\frac{1}{5}$. virgas.2. cubitos .4. pedes.6. palmos. 8.xemes .12. cotos .16. pollices 72.digitos.96.

Paſſus virgas .1.$\frac{2}{3}$. cubitos .3.$\frac{1}{3}$.pedes quinque,palmos.6.$\frac{2}{3}$.xemes decẽ,cotos.13.$\frac{1}{3}$ pollices.60.digitos.80.

Virga cubitos.2.pedes.3.palmos.4. xemes 6.cotos.8.pollices.36.digitos.48.

Cubitus pedes.1.$\frac{1}{2}$.palmos.2.xemes.3. cotos.4. pollices.16.digitos.24.

Pes palmos .1.$\frac{1}{3}$ xemes .2. cotos.2.$\frac{2}{3}$. pollices.12.digitos.16.

Palmus xemes.1.$\frac{1}{2}$. cotos.2.pollices .9. digitos.12.

Xeme

Xeme cotos.1.$\frac{1}{3}$. pollices.6.digitos.8.
Cotus pollices quatuor,.$\frac{1}{2}$ digitos.6.
Pollex digitos .1.$\frac{1}{3}$.

Menſurę agrorum. Iugada cõtinet fanecas 50. Si hordei ſtadales.20000. pedes quadratos 2420000. Si autem tritici ſtadales.30000. pedes quadratos.3226666.

Faneca terræ ſi hordei ſtadales .400. pedes quadratos.48400. ſi tritici ſtadales .600. pedes quadratos.72600.

Stadalis pedum eſt quidem.11. ex omni parte: quare pedes quadratos continebit.121. Pes quadratus minima mẽſura dimetiẽdis agris.

## *De monetis noſtratibus. Cap.22.*

DE Monetis Hebraicis, Græcis, & Romanis, cùm de ponderibus ageremus, quę noſſe opus erat, dicta ſunt. De monetis noſtratibus paulo plura extremo opere adijcere viſum eſt, ac fere ex Antonio Nebriſſenſi in repetitionib. & Did. Couar. diſputat. de numiſmat. quod ad rẽ præſentẽ ſpectat, ſũma capita delibanda ſunt. Quę diſputatio impedita im

primis

UVA. BHSC. BU 03005

primis eſt propter temporum & numerorum maximam varietatem in Hiſpania, vix vt explicari poſsit. tentandum eſt tamen, ne hac parte vniuerſa diſputatio defecta videatur. Ac primum moneta Vellonis Hiſpanis vulgò dicitur, quæ ex ære ſignatur. Sed & argentea, cui admixta erat quarta aut quinta pars æris, eodem nomine cenſebatur: quales Targię erant, patentum ætate quatuor quadrantum valore (marauedinos hoc opere quadrantes vocamus) quædam nouē, aliæ viginti quadrantibus æſtimabantur: quibus antiquatis in earum locū ſucceſſere Quartilli, quos Latinè ſeſtertios dixeris, valore tamen quadrantū tum. 8. $\frac{1}{2}$. quæ quarta pars argentei eſt. In eo genere marauedini ſunt. tametſi primis tēporibus Regum Legionis, ſed & Gotthorum tēpore ex auro ſignabantur, Caſtellani, de quo mox dicemus, valore & pondere. Quare in legibus Partitarū, & in Foro iudicū ſæpe obſeruamus pro ſolido in legibus Iuſtiniani poſito, ſubſtitui marauedinum aureum. (Solidus Iuſtiniani tēpore, quo pondere eſſet, ſuperius eſt dictū.) ſic monetæ aureæ Gotthorum, quę paſsim reperiuntur ex auro nō probo pondere ſcripuli & granorū aliquot, Tremiſſes (eius

vocis

UVA. BHSC. BU 03005

vocis vſus etiá eſt in Gotthorum legibus) eorum marauedinorum erant, hoc eſt, tertiam partem continentes. Fuere etiam in vſu marauedini argentei: quod nomen Blancæ, id eſt, candidæ declarat, quo hoc etiam tempore, quamuis adulterato eo genere atque æreo facto, marauedini ſemiſſem vocamus. Cuius valor pro varietate temporum, & vt plus aut minus æris miſcebatur, varius extitit. Tempore Alfonſi decimi, vt patet ex legibus ſtyli ab eo Rege promulgatis, fuit marauedinus, qui valebat quantum marauedini hodierni ſexaginta aut triginta ſex, vt ſentiunt alij, tamet ſi hunc marauedinum aureum vocant, fortaſſis quoniam pars exigua aliqua auri miſcebatur: ego ex argento plurima ex parte ſignatos puto, quod valor indicat. Erant marauedini Boni dicti, valẽtes ſinguli quãtum decem è noſtris, aut quantum ſex, vt alij iudicant. Qua æſtimatione Alfõſi cognomẽto Sapiẽtis tempore marauedinus cudebatur, vt conſtat ex lege ſtyli. 114. ſex eius temporis æquaſſe vnum è prioribus pondere, de quo. l. 1. tit. 5. lib. 7. fori. Quem etiá à quibuſdam video aureum marauedinum vocari. Sed & marauedinus Vetus in Regum legibus paſsim extat re



UVA. BHSC. BU 03005

centioris temporis, valens noſtrum & ſemiſſem. Atque hoc triplici valore marauedini in paulò antiquioribus legibus & Regum diplomatis æſtimantur à iudicibus litibus æſtimandis, atque in mulctarum modo. Etſi marauedinus auri, quem diximus ſexaginta è noſtris valere, video triginta ſex tantùm in litibus æſtimari. Nam & ſi valor multis alijs modis variauit, litibus tamen finiendis ratio aliqua & æſtimatio excogitanda fuit minor quã tumuis vera & antiqua: quod in legibus etiam Imperatorum factum obſeruamus. Non ignoramus, tamen ex hiſtorijs Regũ noſtrorũ, Alfonſi vndecimi regno octo vncias argenti æſtimatas marauedinis .125. nimirum ſinguli ij marauedini quindecim è noſtris valore æquabant. Sed & Henrici ſecundi ætate argenteus nummus, quem regalem dicimus, tribus marauedinis pendebatur. Caſtellanus marauedinis triginta. Nimirum marauedino valor is circiter redierat, quem Alfonſi decimi ætate habuit. Rurſus cùm Ioannis primi temporibus octo vnciæ argenti ſeu Marcus valeret marauedinos .250. fit vt marauedini valor eſſet octo fere noſtrorum marauedinorum. At Henrici tertij regno marauedino

T dino

UVA. BHSC. BU 03005

dino imminuto dimidia rurſus parte, Marcus argenti æſtimatus fuit marauedinis quingentis. & quod perinde eſt, aliquando Caſtellanus centum viginti marauedinis permutabatur. Enimuero marauedinus ad valorem noſtrorum marauedinorum quatuor erat redactus. Sub Ioanne ſecundo, argenti Marcus valore fuit marauedinorum.1000. regnoq; amplius Henrico quarto rege perturbato, ad marauedinos.2000. atque etiam.2500. Marci valor peruenit. Qua tamen adulterandi licentia ex parte caſtigata Ferdinandi Catholici lege, quæ in hunc diem ſeruatur, argenti Marcus æſtimatur.2278. quando argentei.*67.* cuduntur ex vno Marco argenti valentes ſinguli marauedinos triginta quatuor. Preterea lege eiuſdē Regis ex Marco ſeu octo vncijs æris, quibus argentei vnius & ſemiſsis pondere argentum miſcebatur, marauedini cudebantur.*96.* Noſtra ætate ex eodem æris pondere cuduntur marauedini centum & decem, admixto argentei vnius pondere non amplius. ſed argenti Marco priſtinus valor manet marauedidorum.2278. Fuit autem omnibus marauedinis commune, præſertim marauedinis



UVA. BHSC. BU 03005

argenteis atque æreis, vt ſinguli diuiderentur in duas blancas, valerent ſex coronatos, decem denarios, ſexaginta meagias, argumento maioris valoris marauedini quam hodierni: imo vt contineret decem denarios, ex marauedino aureo relictum ſuſpicor. Hoc quidẽ tempore marauedinus non vnus nummus eſt, ſed duæ blancæ id nomẽ habent. Deinde marauedini bonitate ſenſim imminuta, tantaque argenti atque auri copia anniuerſarijs nauigationibus aduecta, non modò monetæ inferiores, ſed & ipſi marauedini ferme euanuerunt. ac iam cuduntur monetæ maiores ferme tantùm duplicato, aut quadruplicato marauedinorum valore & pondere. Quemadmodum aliæ monetæ æreæ euanuerunt alijs temporibus vſitatæ. nimirum Cruciati duorũ coronatorum valore, Blancus valens quantũ noſter marauedinus, decem denarios, deinde imminuto valore ad ſex denarios. Agnus Dei valuit primum quantum noſter marauedinus, deinde ad coronatũ eſt imminutus. Fuit & blancæ dimidium. quæ omnes monetæ antiquatæ ſunt. Et quidem tantæ varietatis cauſam inueniebam inopiam ærarij extitiſſe. nã ea ſupplẽda Reges ſæpe pondus & bonitatem mone-

UVA. BHSC. BU 03005

monetæ minuerunt valore antiquo retento. quod iniquum eſt, neque niſi aſperrimis reipub. temporibus vſurpandum: præſertim cũ commercia impediantur moneta adulterata, neque diuturna reſpiratio ſit ſed breuiſsima nouæ pecuniæ valore, cum pondere aut bonitate breui etiam imminuto. Quod omnibus temporibus, & apud omnes gentes contigiſſe obſeruamus. Atque hæc de monetis æreis ſint dicta.

Argenteus qui regalis vulgò dicitur, pondere ferme drachmæ, à multo tempore immutatus non eſt. nam licet aliquando tres marauedinos valeret, nó eius valor, ſed marauedini valor & bonitas mutabatur. Nunc quidem lege à Ferdinando Rege Catholico lata anno. 1497. ex octo vncijs argenti nempe Marco, cui miſcetur duodecima pars æris, ſignantur argentei 67. Ducatus fortaſsis aliquando ex auro fuit, nunc nummorum ſummam vulgò tantum ſignificat, vndecim argenteos atque marauedinum vnum, qui efficiunt marauedinos. 375. Ad aureas monetas veniamus. Et quidẽ de marauedinis aureis quid ſentiẽdum eſſet explicuimus. Sed præter illos recẽti memoria ex auro cudebantur monetæ, quę



UVA. BHSC. BU 03005

Caſtellani vulgò dicuntur ex octo vncijs auri, quinquaginta ſinguli pondere drachmæ atque oboli præcipua bonitate. Sed ijs hoc tẽpere conſumptis nomen retinetur & æſtimatio marauedinorum in ſingulos.480.quod & duplis aureis antiquis accidit; quæ pares Caſtellanis erant pondere æſtimationeque, argumẽto quòd qui ad ſupremos iudices regni prouocat pecuniæ periculo depoſitæ apud ſequeſtrũ, ſi mala cauſa fuerit, pro mille quingentis duplis, quę mulcta lege eſt conſtituta, totidem Caſtellanos victi pendunt. Recentiori memoria lege Ferdinandi Regis Catholici ex octo vncijs auri cudebantur.65.aurei ſinguli drachmæ fere pondere excellenti bonitate. nam cũ ſumma bonitas auri non vltra viginti quatuor characteres procedat, illi nũmi ex auro erant characterum.23.$\frac{1}{2}$ vnde aurei excellentes dicti ſunt, ſinguli vndecim argenteorum circiter æſtimatione antiqua, marauedinorum.375. Ex eo genere non pauci inueniuntur, præſertim duplo pondere, vnde & duplones vulgò dicuntur emunturque maioris, vti mercium genus. Sic fere in vſu communi aurei relicti ſunt, quos coronas vulgus vocat, lege Caroli quinti Imperatoris ſignati

ex auri

UVA. BHSC. BU 03005

ex auri characterum.22. vncijs octo, ſiue Marco ſexaginta octo nihilominus. quorum æſtimatio ſuperioribus annis in ſingulos erat marauedinorum.350. Hoc tempore lege Philippi ſecundi Regis Hiſpani ante paucos annos lata, creuere ad marauedinos.400. Atq; propter magnam copiam auri non ſimplices cuduntur modo, ſed duplices, quadruplices, maiorique pondere. Cum his aureis & argenteis, atque marauedinis, Hebraica, Græca, & Romana conferenda ſunt numiſmata, cum antiquis inanis labor eſſet & grauis.

### *Vetus annonæ taxatio. Cap.23.*

EX Ea pecuniæ varietate, ſed & minori copia argenti factum eſt, vt ſuperioribus temporibus pretia rerum multò minora quam noſtro fuiſſe videantur. quod in hiſtorijs noſtratibus maximè obſeruauimus rerum geſtarum in Hiſpania, ante ducentos circiter annos fanecam hordei, hoc eſt, modios ſex duobus tantùm marauedinis emi conſueuiſſe. Ac verò in ſumma caritate annonæ ad ma-

UVA. BHSC. BU 03005

ad marauedinos triginta creuiſſe: cui pretio aliarum rerum pretia reſpondebant proportione quadam. Verum vt melius hoc intelligatur, operæpretium facturum putaui, ſi Ioannis primi Caſtellæ Regis legem adſcriberē latam Era. 1406. hoc eſt, anno Ceriſti. 1368. qua rerum multarum pretia taxantur: quamque ex amici ſchedis deſumptā ex Hiſpanica Latinam fecimus in hæc verba. Nos Ioannes Rex, cùm nobiſcum eſſent Tauri (Sarabis veteribus in Vaccæis fuit) Filius noſter, fratres, patruique, tum multi antiſtites, proceres, nobileſque regni noſtri, pro iure & debito acceptæ poteſtatis, iuſtitięque cultu, ſine qua indigni eſſemus imperio, publicæ vtilitatis ſtudio hanc conſtitutionem fecimus in hūc modum. Præcipimus, vt tritici faneca quindecim marauedinis vendatur, ſecalis quatuor, hordei decem, auenæ octo, aut minoris, vt inter partes conuenerit. Vini veteris ſextarios quatuor, marauedinis tribus vendere conceditur, noui duobus & ſemiſſe. ſi maiori copia per vrnas aut amphoras vēdatur, ex vniuerſa ſumma, parte quarta decima detracta. Veſtis Gallicæ ſeu panni vlna vendatur marauedinis ſexaginta, Belgici aut Anglici quinqua

ginta

ginta. Neque fas ſit mercatori veſte in artifi-
cio extendere, alioqui publicetur, & illius
amiſsione mulctetur. Purpuræ Gandauenſis
vlna centum marauedinis, Hipren ſis .110. ea
tamen lege, vt puluere purpura infecta ſit,
craſſaque. Neque quiſquam Bruſſelis, Mom-
pellerio, Londino, Valentiaque veſtem la-
neam ſeu pannum inuehat, niſi nobilem fœ-
minam ducturus, aut ex Regis voluntate.
A menſe Nouembri vſque ad Martium diur-
næ operæ merces viro quidem tres maraue-
dini veteres ſunto, fœminæ autem nouem
denarij vſuales, ſi ab ortu ſolis ad occaſum
fuerint operari. A Martio vſque ad Nouem-
brem viro dentur quatuor marauedini vete-
res cum ſemiſſe, fœminæ duo marauedini di-
midio demenſo addito ad eius voluntatem.
Aratoris merces diurna ſint decem maraudi
ni veteres & dimidiatum demenſum. Vinde-
miarum tempore homini & iumento maio
ri ſeptem marauedini dentur: quod ſi victum
acceperit, tres non amplius accipiat, modò
ante ſolis ortum ſemel, deinde poſt occaſum
ſolis onus domum portauerit. Famulo mer-
ces annua ſint centum marauedini veteres,
famulæ ſi iunior ſit, quinquaginta, ſeni qua-
V dragin-

draginta additis, quæ dari minutiæ conſueue runt. Spicas in meſſe vxores aratorum & meſ ſorum ne colligant, non iuuenis idoneus diur no labori: ſenes tantùm, pueri, & pauperes id faciát. Calcei maiores è caprina pelle. 6. mara uedinis vendantur, minores tribus. quod ſi arietinæ pelles fuerint, eius pretij, dimidium dare & accipere fas ſit. Quod ſi ſoleæ geminæ fuerint, addatur quod conuenerit inter partes. Pro ephippijs equi ex caprinis pellibus centum marauedini dentur, pro mulæ ſella vi ginti marauedini, adiecto vno marauedino pro fræno. Par pellium caprinarum centum marauedinis vendatur modo probatæ præſtã teſque ſint: alioqui triginta marauedini pretium ſit. quod ſi vitio deprauatæ fuerint, eas vendere nemini liceat. Qui gladios poliunt, terguntque, pro enſe poliendo tres marauedinos, pro cultro mactatorio marauedinum vnum accipiant, pro haſtæ ferro duos marauedinos, pro lorica ſex marauedinos aut eo minus, ſi inter partes conuenerit. Veſte vulgari fulcienda pellibus, tres marauedini dentur. Pro veſte pellicea nobilium viginti marauedini dentur, pro communi non amplius duodecim. Aurifices Burgenſes Toletani,

Legio-

UVA. BHSC. BU 03005

Legionenſes, Segobienſeſque argenti Talentum opere ſimplici faciāt pro quindecim marauedinis: ſi addita maior elegantia fuerit, viginti marauedinos accipiant. Qui ingenua conditione non ſit, argenti facti vltra tria Talenta nō habeat (Talēti voce hac lege Marcū ſignificari puto.) Scuta duplicia. 20. marauedinis vendantur: ſi addita pictura inſignis fuerit, viginti quinque marauedini pretium ſit, ſi aurata, triginta. Clypeus è corio ex Argiona quidem ſeu Aurigia, viginti quinque marauedinis vendatur. qui aliunde ſunt, quindecim. neque eo vtantur, aut domi habeant, niſi qui ingenua conditione fuerint. Veterinarij iumentis calceandis ferro, pro quaque ſolea tribus marauedinis contenti ſint, ſi è Cantabria ſoleæ fuerint: alioqui duo marauedini pretium ſit. Molæ frumentariæ pro faneca tritici duo marauedini dentur. Si præfectus molæ alicui fœminæ ex ijs, quæ ad molendum venerint, iniuriam fecerit, morte plectatur. Dardanarij item leporem tribus tantùm marauedinis, cuniculum duobus vendāt, gallinam quatuor, anſerem ſex, porcellum octo, palumbem tribus, perdicem quinque marauedinis. Neque ea comparare.

fas ſit fabro aut artifici, præterquam in paſcha te aut nuptiarum ſolennitate. Mille tegulæ 60. marauedinis, mille lateres. 55. dentur. Gipſi in puluerem contuſi faneca, hoc eſt, modij ſex, marauedinis. 6. calcis faneca. 5. marau e-dinis taxatur. vtrũq; mẽſura Burgẽſi vẽdatur. Bouis ad Anam nutriti .200. marauedini pretiũ eſto, aliorũ. 180. Capitaleq; ſit bouẽ, vaccã iuuencũ extra fines regni educere. In macello arietinarũ carniũ libra duobus marauedinis vendatur: quod ſi aliquis flatu carnes grauiores fecerit, pœna ſit ijs publicatis ſpoliari. Taxationes quæcumq; in hac conſtitutione continẽtur, in cõmercijs ſeruari emendo vendendoq; mandamus. Quæcũq; hic omiſſa ſunt, volumus à ſenatu & magiſtratu per vrbes & oppida deſignari vſq; ad mẽſem Ianuarium proximũ. Hæc ergo cõſtitutio eſt, quã nos Rex Ioannes facimus, cũ nobiſcum omnes proceres & nobiles regni noſtri eſſẽt. Cõmunis autẽ conſenſus, omnium noſtrũ argumentũ ſubſcriptiones erũt, quibus hæc lex approbatur. Vides ex hac lege, quãtopere rerũ pretia mutata ſint ab antiquo Cuius mutationis duplex cauſa extitit. pecuniæ olim probitas, maiorq; valor, vti proximo capite

dictum

UVA. BHSC. BV 03005

dictum eſt. Pręterea argenti antiquè multo minor copia quam noſtra ætate.

## Pondera & menſuræ in templis ſeruabantur. Cap. 24.

DE Mẽſuris & ponderibus ea hactenus dicta ſunt, quæ nobis quidem ſcitu digna fore videbantur. Abſoluta diſputatio eſt, multis quamuis implicita difficultatibus: ac illud tantùm ſupereſt, ſingula genera ponderũ & menſurarũ inter ipſa & cũ noſtris vulgaribus comparare. Illud hoc loco ſi adiecero finẽ faciã diſputãdi: fuiſſe antiquis tẽporibus obſeruatũ, vt mẽſuræ & põdera publicè ſeruarẽtur, ne poſſent à quoquã populariũ vitiari. Videbãt enim, ſi ſecus fieret, cõmercij fidẽ inter homines conſtare nõ poſſe, magnãq; rerũ perturbationẽ fore, ſi in ſingulis domibus aut oppidis varia eſſent. quod futurũ prouidebant, niſi magna diligẽtia, magnaq; cautione publicè adhibita. Itaq; in ſacratiſsimis tẽplis ea ſeruare mos fuit. quod Fan. explicat illis verbis, Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,



UVA. BHSC. BU 03005

